
7
7-E
36



CC.2.
XIX. 1. 33.





Digitized by Google

Digitized by Google

INAVGVRATIO
Philippi II. Regis Hispaniarum,

qua se

Iuramento Ducatus Brabantiæ & ab eo dependentibus Provincijs obligavit,

cum

Substitutione Ducissæ Mariæ Gubernatricis.

Adjuncta sunt quædam alia huc spectantia, unitis *Provincijs* utilissima.

Authore

HENRICO AGYLÆO *senatui Provinciali Vltrajectino à Consilijs ejusdemq; fisci Advocato: qui Articulos Inaugurationis, Commentarijs illustravit.*







VLTRAIECTI,
Ex Officina Abrahami ab Herwijck.
Anno 1620.

4

Digitized by Google

AMPLISSIMIS NObilibus Generosisque Dominis. D. Ordinibus Provinciæ Vltrajectinæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRoprium eſt Principum munus, Ampliſſimi, Generoſi & Nobiles Domini populum regere, gubernare, paternoq; affectu complecti, & paſcere: unde apud poëtas, Pater Æneas, Agamennon populorum paſtor, aliaque his non diſſimilia toties repetuntur. Quoniam autem qui aut ignorantiæ, aut indolis pravitate, aut malis conſilijs eo munere ſecus uterentur ſubinde exiſterent: inventæ ſunt Principatus leges, ſive Regiæ, quibus in officio continerentur. In ijs vero quam diligentes ma-

jores nostri fuerunt, præter multa sane alia testis est Inauguratio Brabantina, testis hæc ipsa Constitutio. Cujus quidem diligentiæ vestigia, quod tantopere neglecta sint, quas illi calamitates vitarunt, nos vitare non potuimus. Et cum eadem negligentia tantum non perierimus: Deus autem pro immensa sua misericordia instaurandarum rerum occasionem præbuit, nihil profecto nobis debet esse prius quam ut ad majorum diligentiam summa cum alacritate redeamus. Quamobrem optime mihi de Republica mereri videntur, qui majorum studia, prudentiam, leges, quibus se in fœlici libertate continuerunt, in publicum proferunt, & si res ferat, illustrant. Cujus respectu in pacificatione Coloniensi

lonienſi magna cum diligentia requiſita fuerunt exemplaria Inaugurationis potentiſſimi Regis Hiſpaniarum Philippi ſecundi, in Ducatu ſuo Brabantiæ, & provincijs ab eo dependentibus: quæ non ſine magna difficultate obtineri potuerũt, etiamſi ſint baſis & firmamentum rei inter Belgas controverſæ, è qua fundamenta belli emanarunt, & in hoc uſque tempus ſeſe per diverſas occaſiones propagarunt. Pater, meus *Henricus Agylæus* Provinciali Vltrajectino ſenatui à Conſilijs & fiſci Advocatus, operam eam navavit, ut non tantum ipſius Inaugurationis exemplar è chartis Brabãticis extraxerit, cum Brabantus eſſet, & præcipuis quibuſq; familiaris, ſed Commentarijs etiam ſuis illuſtrarit, adje-

ceritque ea quibus multa præclara universo Belgio (quatenus uni Principi paruit) communicantur, & Respublica haud parum tum afflicta refocillata, propeq; instaurata fuit. Hęc omnia per homines malignos diu interversa, cum sit ejusdem Consiliarij filio Iohanni decretũ in lucem edere, ut per ea tum vestræ A. & G. N. hoc nomine innotesceret, tum publico bono servire se paratũ esse ostenderet, patris hoc posthumum scriptum dedicare, & vestræ A. & G. N. nomini inscribere visum fuit. Causas habuit, quia hæc spectant Iura politica & summam Privilegiorum, quorum defendendorũ causa Illustrissimus & nunquam satis laudatus P. M. Princeps Auraicus olim nullas quantascunq; difficultates aut peri-

pericula evitavit: & nunc Mauritius Dei gratia Princeps Auraicæ filius ejus, vestigia Illustrissimi parentis Ingressus, ut Privilegia sarta & tecta conservarentur, Provincias, abolitis ac tantum non protritis Privilegijs in servitutem redactas, juri suo restituit, & in libertatem avitam vindicavit, cum immortali nominis sui gloria, & noctes atque dies id agere pergit, ut porro ea quæ desint adhuc continuando heroico isti cœpto huc usque producto, ad optatũ tandem finem Provincijs hisce confœderatis, dignitate & respectu per universum Orbem terrarum auctis, opibusque florentibus, perveniant. Quoniam vero illa totius Belgici populi quatenus tum unum Principem habuit, opus est. Accipite igitur Ampl. N.
G.D.

G.D. Ord. benigno vultu idem opus, quod vobis optimo jure debetur, ac publice & privatim magno usui est futurum, & actionum vestrarum, qui hujus Provinciç Gubernacula tenetis, tanquam publicum testimonium fieri permittite; quas præclaras vestras actiones ut Deus Opt. Max. uti cœpit, prospe-rare porro pergat, serijs ab eo petendum precibus.

Tum eundem Amplissimi Nobiles Generosique Domini Ordines, Deum Opt. Max. precor ut vestris Consilijs benedicere pergat, vosque adversus hostium insultus diu incolumes tueatur: Trajecti Batavorum.

Vestra A. & G.N. addictissimus I. Agylaus.

INAVGVRATIO, sive pactæ Jurataeque conditiones, secundum quas Hispaniarum Rex Philippus, à populo Brabantico, in Brabantia Ducem est receptus.

PRÆFATIO.



AROLVS DEI gratiâ Imperator Romanornm semper Augustus, Rex Germaniæ, Castiliæ, Leonis, Granatæ, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Majoricæ, Minoricæ, Sardiniæ, & insularum Indicarum, terrarumque in Oceano continentium: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgicæ, Luxemburgicæ, & Gelrię: Comes Flandriæ, Artesiæ, & Burgundiæ: Palatinus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Pherretriæ, Hagenhaldiæ, Namurci, & Zutphaniæ: Princeps Sueviæ: Marchio sancti Imperij: Dominus Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Provinciæ Trajectensis, Transisula-

niæ, & Groningæ: Dominator in Asiâ & Africâ: Et nos PHILIPPVS eâdem gratiâ Princeps Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, &c. Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, &c. Omnibus, qui ista visuri sunt, S.

Quo magis hujus tractus hæreditarijs nostris provincijs, earundemque incolis, devotis fidelibusque nostris subditis, syncerum nostrum erga ipsos ostendamus amorem, favorem, totiusque animi nostri, quem nos Imperator semper erga eos habuimus & adhuc habemus, affectum: cùm profectò nihil aliud [a] cupiamus, quàm quod ad communem ipsorum pertineat prosperitatem, tranquillitatem, pacem, atque securitatem: evocandum huc curavimus charissimum nostrum filium, Hispaniarum Principem, ut & ipse simul easdem provincias perlustrare & cognoscere, simul incolis earum syncerum suum erga ipsos ostendere amorem, animique sui affectum possit: quò videlicet ipsorum quoque animi eò magis in ipsum, tanquam futurum ipsorum Dominum atque Principem, inclinent, ipsique devinciantur. Atque ideo etiam alijsque gravibus de caussis, decreto facto efficien-

[a] Non minùs necessaria, quàm præclara voluntas Principis erga suos.

dum duximus, ut ab Ordinibus omnium earundem provinciarum, & inter cæteros à Prælatis, Nobilibus, & quatuor Ducatus nostri & provinciæ Brabantiæ metropolibus, in futurum ipsorum [b] hæreditarium supremum Dominum atque Principem recipiatur, atque ut talis inauguretur, eidemque fidelitatis jus-jurandum præstetur: quò post obitum nostrum ipse ejusque hæredes eundem nostrum Brabantiæ Ducatum, quæque ad eum pertinent, ut justus verusque ejus Dominus, obtineat. Quæ omnia iisdem tribus Brabantiæ Ordinibus, nobis, charissimâque sorore nostrâ, Dominâ Mariâ, Hungariæ Bohemiæque Reginâ, &c. per absentiam nostram earundem nostrarum hæreditariarum Provinciarum Gubernatrice, præsentibus, proponenda curavimus: simul etiam hanc nostram voluntatem & fuisse & esse, ut idem noster filius, Hispaniarum Princeps, tanquam futurus noster unicus hæres, [c] ipsis etiam concedat, promittat, ac jurejurando firmet Inaugurationem, secundum veterem morem & consuetudinem. Verùm quia in Inauguratione illâ, in quam nos majoresque nostri juravimus, expleta sunt nonnulla, ac nonnulla etiam, quòd ad tranquillitatem, pacem, prosperitatemque ejus-

[b] Non antè hæreditarius, quàm in leges Principatus juraverit.

[c] Egregia moderatio animi Caroli, qui quanquam post tot victorias terror orbis de absolutâ potestate ne cogitasse quidem videtur, quam ejus filius mala consilia sequutus involare tot jam annis nititur.

ejusdem provinciæ non faciant, haud commodè observentur: quia etiam idem noster filius, quæ concedet, promittet, & in quæ jurabit, ad amussim & exactè observare atque explere[d] proposuit & cupit: de recognoscendâ expendendâque Inauguratione nostrâ, cum ijsdem tribus Brabantiæ Ordinibus communicandam curavimus, ut quid in illis leniri mutarive conveniret, animadvertere ipsi possent, & quæ deprehenderentur observari non posse, reformarentur. Cùm autem eâ de re sæpe cum ijs in consilium itum atque deliberatum esset, post multos variosque recessus, consultationes, opiniones, renuntiationesque ultro citroq; factas, [e] consenserunt tandem atque acquieverunt, prout ex ipsorum consignatis eâ de re tabulis constat. POSTQVAM verò nos Princeps à Domino nostro Patre juratam Inaugurationem, illique additas epistolas & additiones, & alias simul Atavi nostri epistolas & concessiones, quarum in postremo Inaugurationis capite fit mentio, unà cum mutationibus, reformationibus, atque additionibus, pro tenore jam dictarum tabularum factis, omnibus bonâ fide in Hispanicam linguam translatis, & legi audivimus, & cognovimus, & plenè intelleximus: cùm

[d] Malis consiliarijs usus omnino recessit à proposito.

[e] Perpauca mutata sunt, ut in commentario ostenditur.

cùm pro desyderio Domini nostri Patris, Provinciæ Brabantiæ in commune, sive incolis ipsius, jura ipsorum, privilegia, immunitates, consuetudines, usus & traditiones observare & velimus & cupiamus: [f] consyderatis præsertim magnis illis multifarijsque ipsorum officijs, favoribus, atque fide fœlicis memoriæ majoribus nostris, Brabantiæ Ducibus & Ducissis, ac inter cæteros Domino nostro Patri Imperatori sæpenumero exhibitis (quomodo quidem id illi legitimis suis Principibus, ut fideles subditi, facere tenebantur: quodque ipsum etiam illos deinceps nobis facturos confidimus) de consilio & consensu Domini nostri Patris, scientes prudentes, in hac nostri in civitate Lovaniensi receptione atque inauguratione, concessimus quoque illis, dedimus, approbavimus, & concedimus, damus, approbamus ea quæ sequuntur privilegia, & capita confirmationemque juris: pro nobis, hæredibus, successoribusque nostris [g] juratò promittentes, post obitum Domini nostri Patris (cui Omnipotens Deus diuturnam fœlicemque vitam concedat) ea nos in perpetuum inviolata servaturos, atque ut ita serventur, curaturos.

[f] Si hæc Philippe debite expendisses, nunquam ita exorbitasses.

[g] Hujus jusiurandi gratiamne tibi fecerit homo? At mihi crede, non is est Deus, qui sibi obstrictos delegeт homini.

COMMENTARIVS
Ad Præfationem.

QVOD in Romano Imperio fuere Præsides, in Germanico sunt Duces, Comites & Marchiones. Sed annui fuere illi, & ut plerunque ubi præerant, erant peregrini: sic finito magistratu omnino erant privati, & quasi alieni. Hi verò ferè sunt indigenæ, & non modò perpetui: verumetiam dignitatem ad posteros transmittunt. Illi erant Principum ministri, summoque titulo atque authoritate Legati: hi sunt Principes ipsi, Reguli, & quatenus fines ipsorum pertingunt, quasi Imperij consortes. Et cùm Lucanus Romani Imperij naturam describens, dixerit: *Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas Impatiens consortis erit:* mox apparet, quantum inter Romanum Germanicumque Imperium discrimen sit. Quod qui non animadvertunt, cùm de Imperij rebus loquuntur, incredibile est quàm hallucinentur: præcipuè verò, cùm quæ in juris libris de Principum potestate inveniunt, horum temporum Principibus accommodant. Sed de discrimine illo passim in hoc est scripto tractatum:

tum: quemadmodum etiam de omnibus administrandæ reipublicæ generibus: idque ni fallor, ita, vix ut quicquam pro hujus scripti ratione desyderes. Imperatorem tamen hi Principes pro capite atque supremo magistratu agnoscunt, ut à quo provincias suas administrandas suscipere, cuique obsequij & fidei jurati sponsionem facere debeant. Sic Godefridus Barbatus Lotharingiam inferiorem, postmodum Brabantiam appellatam, ab Henrico ejus nominis quarto Imperatore, administrandam suscepit: cùm illa aliàs cum superiore, aliàs ut Marchionatus ab Imperio administranda suscepta esset. Et fuit Brabantia Godefridi posteris hæreditaria: ita tamen, ut qui succederet, populo Brabantico in certas conditiones jurare deberet. Quod qui facere detrectaret, nihil illi Ducis filium esse, quantum ad successionem, prodesset. Et quod contra naturam clientelarium provinciarum est, fœminæ etiam in Brabantiæ administrationem succeßere: sed videre nemini Philippi Imperatoris diploma, quo illud jus Henrico ejus nominis primo Brabantiæ Duci indulsit. Atque hac ratione Carolus Brabantiam hîc hæreditariam provinciam vocat. Quod quam vim habeat, illustri hîc exemplo do-

cetur. Fuit Carolus Princeps longè potentissimus, & Imperator: fuit Philippus unicus ejus filius. Proposuit Brabantiæ Ordinibus Carolus, juratam à se Inaugurationem, in quâ multa esse diceret, quæ aut tolli aut mutari deberent, ut in eam etiam Philippus juraret. Neque dubium est, quin istiusmodi multa Caroli nomine proposita fuerint, cùm hîc tot consultationes super ijs habitæ memorentur. Sed videamus, quantum in eo à Carolo sit obtentum. Ex Carolinà Inauguratione septem capita expuncta invenio, quorum quinque nullius prorsus sint momenti, reliquorum verò alterum habeat, ipsum neque multas neque crimina condonaturum, neque Officiarios aut constituturum aut destituturum, neque functiones publicas magnáve dona daturum, nisi de consilio & approbatione communis Consilij Brabantici, aut minimùm eorum quatuor, quorum nomina in diplomatibus ponerentur: alterum autem, ipsum neque Præfectum neque Quæstores Brabantiæ vel constituturum vel destituturum citra consilium & consensum totius Consilij Brabantici, minimum've sex eorum, quorum similiter nomina in diplomatibus scriberentur. Quæ parvi momenti

esse,

esse, ego certè non dixerim: cùm incognitum mihi non sit, quàm illa per Principes aulicorum consilio expediri, sit periculosum. Quæ aulicorum cupiditates & artes sunt, ego & reipublicæ & Principum magnopere interesse puto, publicorum negotiorum quàm paucissima illorum procurationi, suggestioni, consiliòve permitti. Quòd quintum caput ita mutatum est, ut cùm absente Principe summa rerum penes Consilium Brabanticum antè fuisset, nunc penes Gubernatorem esset: diuturna Principis absentia ejus rei fortè justa caussa fuit visa. Nonum caput hoc etiam passum est, ut cùm antè Cancellarius non crearetur, nisi de consilio Consilij Brabantici, aut saltem sex eorum, qui illum idoneum esse, jurati testari deberent: nunc deinceps à solo Principe creari posset: quod ejusdem notæ est cum ijs, quæ mox de Præfecto, Quæstoribus, alijsque Officiarijs creandis diximus. Addi ad hunc cumulum posset captiosa illa exceptio: *quatenus observationi subjecta sunt, atq; observari possunt:* postremo Inaugurationis capiti inserta. Et sunt nonnulla alia mutata recensve addita, sed quæ tanquam reipublicæ noceant, notari nequeant. Quin tamen multò & plura & graviora

Carolus urgenda curarit, dubium esse illi non potest, qui quæ tum ratio aulæ ipsius fuerit, cogitet. Et quantâ molestiâ atque importunitate hæc obtenta sint, abundè testatur hæc ipsa præfatio. Quid verò animarit Ordines, ut tantorum Principum desyderijs reniti & adversari sustinerent, rogas? Prout nunc Imperium est, quicquid ad illud pertinet, una quasi respublica est, eaque libera. Ipsum Imperij supremum caput, non nisi commodis, quæque populo placeant, constituitur conditionibus. Reliqui verò Principes cùm ejus clientes sint, ab eoque confirmari debeant, qua ratione plus juris, quàm ipse, habeant? Et verò monstri simile esset, si qui absolutam potestatem habet, ei qui circunscriptam habet, parêre debeat. Et in republicâ partem aliquam contrariæ conditionis esse, quàm esset & iniquum & absurdum? Hæ ergo rationes & exempla majorum animarunt Ordines atq; adeò coëgerunt: ac verò nisi pro eâ, quam à populo habebant, potestate, desyderijs illis restitissent, proditionis notam incurrissent: & quod gratiæ fortè datũ esset, irritum fuisset. Hæreditaria igitur dignitas hoc tantum habet, ut si hæres conditiones præstandas suscipere velit, alijs præferatur. Neque verò

hoc mirũ videri debet, cùm qui dignitatem habet, si adversus conditiones faciat, removeri possit. Quæ in progressu suis quæq; locis commodiùs videbuntur. Cæterùm quò hominum elegantiorũ judicia præveniam, cogor hîc nonnihil de ratione versionis dicere. Quisque æquior aut saltem politicus concedet, istiusmodi scripta publica, cujusmodi Inauguratio est, si in alienam linguam transferantur, quàm maximè accommodari debere intellectui eorũ, qui illa aut composuerunt, aut quibus in frequenti usu sunt. Cũ autem qui Inauguratione maximè utũtur, quomodo etiã pleriq; omnes qui in rebuspublicis versantur, assueverũt nonnullis vocibus, partim in Latinâ lingua prorsus barbaris, partim à Latinè loquentibus non satis receptis, iisq; etiã in Germanicâ atq; Gallicâ lingua utãtur: siquis Inauguratione aliud've istiusmodi scriptum è Germanico Gallicóve Latinũ faciens, istiusmodi voces rejicere, atq; in earũ locum prorsus Latinas ponere velit: preterquàm quòd faciet, ut qui juvari ipsius labore maximè cupiant, rem minùs, quàm antea, intelligãt, etiã nonnullis locis sententiã perverter. Novæ res nova vocabula poscunt, aut veterum etiam novam significatione. Si ipse Cicero hisce temporibus viveret, non-

nonnullis vocibus uti detrectare non posset, quas elegantiores ut omnino barbaras condemnant. Si utendum foro est, recusare id in ratione Latinæ linguæ nequaquam ille poterit, qui in foro versari velit. Quod eò rapi nolim, tanquam barbariem propugnem: quam in libero dicendi genere ut ipse quantum possum vito, sic etiam ab alijs vitari summopere velim. Vt igitur receptas in nostro idiomate voces utcunque Latinas, & nonnullas etiam omnino barbaras retinerem, hæ me rationes movere. Ejus autem sortis sunt, deputare & deputati, pro delegare aut committere,& delegati,ac simpliciter etiam pro legare, & legati: commissarius: inventarium: originales tabulæ: sigillator: informatio: certificatio: supplicatio, pro libello supplice: & nonnulla istiusmodi alia. Sic etiam retinui,feudum:feudalis:vasallus: dominium,pro prædio nobili: Scabini. Neque mutare potui,Baro: Baronatus: Ducissa: Marcgravius: Prælatus: & siqua sunt similia. A voce, officium, pro munere publico, vox officiarius, ut à voce beneficium beneficiarius,quàm vox,officialis,nonnullis concinnior videtur: atque ea in genere pro eo utor,qui officium sive munus aliquod publicum habet: quanquam illa

illa apud veteres nullos (quod constet) hæc apud Iurisconsultos atque etiam apud Apuleium inveniatur. Officiarios igitur voco, quotquot sub Principe in Brabantia munera aliqua publica tenent: quanquam Drossatum Brabantiæ, Præfectum Brabantiæ appellem: quomodo etiam Meierum Lovaniensem, Amptmannum Bruxellensem, Ballivum regionis in Brabantia Gallicanæ, Schultetos, & Vosteros, omnes Præfectos nomino, ex addita voce dignoscendos: idque à generali significatione vocis, Præfectus. De quibus disputationem instituere, mediocris libelli ferè opus esset. Pagos autem majores, quæ libertates vulgò vocantur, municipia vocare non alienum putavi: ea voce tamen aliquando largiùs utor, ut civitates, quæ metropoles non sint, complectar. Et frequens est loquendi modus, quo pacta in Inauguratione facta, Inaugurationem voco: quæ eadem figura vulgò, Lætus introitus, dicuntur.

Nihil vi, ſed omnia ex præſcripto juris fieri, & dies juridicos obſervari debere.

CAPUT. I.

Hujus ita oblitus fuit Carolus, ut reorum defenſionem etiam capitalem eſſe juſſerit, multaque millia quaſi indictâ cauſsâ trucidarit: ſed ejus filius eam rem ita exaſperavit, ut populus tandem armis ſe tueri coactus ſit.

PRIMUM, nos illis juſti fideleſque Domini ſumus futuri: nullo modo vim illis aut injuriam facturi, fieríve paſſuri: non niſi ex præſcripto juris cum illis acturi, agíve permiſſuri. Et quidem cum Prælatis, religioſis domibus, Baronibus, Nobilibus, alijſque incolis civitatum, municipiorum, totiuſque provinciæ Brabantiæ & Tranſmoſanæ, in omnibus cauſſis agemus, agendumque curabimus ex præſcripto juris: idque ſecundum jura cujuſque civitatis & judicij, ubi quidque agetur. Debebunt autem ejuſdem provinciæ judices exactè obſervare juridicos dies, neque ullo modo committere, ut illi prorogentur, niſi in cauſſis Principatus: in quibus quidem id ſemel fieri poterit, ſed non ſæpius.

COM-

COMMENTARIVS.

TRECENTIS & viginti abhinc annis Latinè edidit Brabantiæ Dux Henricus ejus nominis secundus constitutionem, sive potiùs testamentum suum, in quo inter cætera hæc sunt verba: ***Quod ex nunc in anteà homines terræ Brabantiæ communiter per judicium & sententiam tractabuntur.*** Ex quo prior hujus capitis pars originem ducere videtur, ut ferè ex diversis diversorum Principum pro re nata factis promissis, tandem pactorum, quæ Principes in Inauguratione jurejurando confirmarent, coacervatio facta est. Antiquum est, Ex malis moribus bonas leges nasci: & ex his verbis ejusdem constitutionis, ***Cupientes saluti animæ nostræ consulere:*** videtur Dux Henricus alicujus in contrarium commissi pœnitudine ductus, illud constituisse. Sed cùm ipso jure Principes primarij legum custodes sint, superfluum videri possit statuere, ipsos ex legum præscripto cum subditis agere debere. Sit id quidem ita. Sed quemadmodum belluæ nunquam satis circunsepiri possunt, ne noceant: ita legum repagula, quibus Prin-

cipes

cipes contineantur, non poſſunt nimis eſſe manifeſta. Quanquam enim ipſi natura boni ſint, vix tamen fieri poteſt, quin in tam corruptis aularum moribus, & inter tot adulatorum artes, non facilè efferentur. Quamobrem & Dux ille bene fecit, qui id ſtatuit, & Ordines meritò primum illi in Inauguratione tribuere locum. Qui quòd vim abſore, addidere, per interpretationem factum eſt, cùm legis ſive juris executio ſatis vim excludat ipſa. Sed (ut dictum eſt) repagula illa non poſſunt nimis eſſe neque firma neque manifeſta. Et quidem horret animus meminiſſe, quàm impotenter, ne dicam belluinè, repagula hujus ipſius capitis proximis quinquaginta annis ſint perrupta: quibus à fide dignis traditur, omni genere lanienæ, longè ſupra centum millia hominum, pręter jus fas, hoc tractu tam exiguo, eſſe conſumpta. Sed obganniet fortè Iuriſconſultulus aliquis, jure illos eſſe necatos, ut ex Principis placitis. Sed cùm Principibus per tertium Inaugurationis caput nihil conſignare liceat, quod in cujuſquam ſubditi detrimentum vergat: quantò minùs liceat illis leges figere, per quas tot millia hominum indicta cauſſa trucidentur? Quid ni enim indicta cauſſa dicam, cùm

eos defendere, capitale fuerit? Et non temerè in eas leges Ordines consensisse probabitur, sine quorum consensu nihil profectò istiusmodi potest Princeps. Qui sanè qualesquales fuerunt, in istiusmodi certè leges nunquam consensissent. Quo loco inter provinciarum Consiliarios, qui Ordines sunt, & Principum Consiliarios, luculentum se discrimen offert. Hi enim quamvis Iurisconsulti essent, quamvis etiam nonnulli eorum non juris sacerdotes solùm, sed lumina haberi vellent: non modò in eas leges consentire, verumetiam ipsi dictare atq; componere sustinuere. Sed cujus quæso juris illi periti censendi sunt? Divinine? sed ejus professores omni suppliciorum generi subjicere non erubuerunt. Humani ergo? Sed quomodo id subsistere potest, cùm in universum humanum genus tam immanes injurias partim tulerunt, partim fabricarunt? Sed calliditatis versutiæq; consultissimi fuere, qua Principibus inusitatam & non competentem authoritatem, tanquam Midæ auriculas, affigerent: sub cujus umbrâ ipsi deinceps in immensum crescerent. Inde alius, quem vel patrem ciere puduisset, ad decies centena millia nostratium aureorum (incredibile dictu) liberis æquè futuris noxijs,

reliquit: alius eò superbiæ devenit, ut Proceres Ordinesq; harum provinciarum omnes præ se contempserit: alius filios in quasvis dignitates intrusit: alius quosvis cives suos, alios dignitatibus, alios opimis sacerdotijs beavit, ipseque auri cumulis immortuus est. Sed in istiusmodi latiùs evagari non permittit commentarij ratio: atque hæc etiam mihi lamentabiles patriæ ruinæ, quarum illi præcipui ferè authores fuerunt, hoc loco extorsere. Sed si (ut dictum est) mali mores bonis legibus occasionem præbent, plus satis caussæ nunc habent Ordines, quamobrem bonas leges faciant, atq; tam effrenatæ rabiei in posterum obicem ponant. Qui mihi quidem in his maximè consistere videbitur, si efficiant, ut Principum potestas (si quidem ad cramben redeundū sit) quàm minimùm se diffundat: eorumq; Consiliarios à publicis provinciarum negotijs prorsus secludant.

Quod deinceps de diebus juridicis observandis dicitur, non ita dissimile illi est, quod Iustinianus suos judices à summo statim diluculo usque in vespertinum crepusculum continuò sedere voluit [a]: atq; quod ad exceptionem, *nisi in caussis Principatus*, attinet, simile illi est, quod in judiciarijs ordinibus

[a] Novel. 80. §. Sedebunt.

nibus provinciarum aut civitatum præſcribitur, ut ſub certis quibuſdam pœnis Conſiliarij aut Iudices certis temporibus compareant, niſi Principis reipublicæ've cauſſa alibi occupati eſſe debeant. Atq; hunc quidem hujus loci intellectum eſſe puto, quantumvis exemplaria ob diverſitatem mihi ſuſpecta ſint.

De tabulario Brabantiæ, ejuſq; cuſtode.

CAPVT. II.

PRIVILEGIA tabulæque publicæ provinciæ Brabantiæ ejuſq; incolarum jam impetrata atq; etiamnum impetranda, aſſervabuntur in arce Vilvordianâ per quendam natione Brabantum atque in Brabantiâ commorantem, hominem & honeſtum & idoneum: cui id à Principe fuerit injunctum. Is autem Principi juſ-jurandum præſtabit coram Ordinibus eorum've deputatis. Prælati autem & Nobiles ad id deputabunt Prælatos duos & duos Nobiles, qui præſtandi juriſ-jurandi tempore à Principe ejuſ've Commiſſario commodiſſimè inveniri poſſint. Tertius verò Ordo, quatuor metropoles videlicet, à Principe

Cùm reſpublicæ armis monumentiſq; literariis præcipuè contineãtur, ſi armamentaria neceſſaria ſunt, ſunt certè & tabularia.

requisitus, ex unâquaque metropoli deputabit unum, qui ad idem illud jus-jurandum evocabitur. Cujus juris-jurandi substantia erit: ipsum Principi provinciæq; syncerum fore: neque se ullo modo per se vel quemvis alium, ulla privilegia tabulasve publicas, aut alienaturum aut suppressurum. Tradet autem idem ille Ordinibus generale privilegiorum atq; tabularum, Brabantiam ejusq; incolas attingentium, inventarium, ab ipso, præsente Brabantiæ Cancellario, ita confectum atq; extensum, ut quisque ex Ordinibus, quid ipsos concernat, intelligere & scire possit. Quod inventarium Ordines in scrinio suo asservabunt, neque cuiquam privatim de eo exemplar tradent. Ordinibus tamen, & cuique eorum atq; quatuor metropolium, ad requisitionem ipsorum ex authoritate Cancellarij videndi illius atq; inspiciendi copia fiet. Insuper verò tenebitur custos ille, ab Ordinibus aut quoquam eorum, per authoritatem Principis aut Consilij Brabantici requisitus, eas originales tabulas inspiciendas exhibere, aut earundem etiam exemplum dare, quarum usus ipsis aut cuiquam eorum, futurus sit aut commodus aut necessarius.

COM-

COMMENT.

IMPERITE nequaquam fecit, quisquis gladium in mucrone calamos scriptorios alligatos habentem, imperij insigne constituit. Innuere voluit ille, respublicas his duobus maximè contineri, armatâ defensione, & scribendis omnis generis legibus & contractibus. Atq; huic persimile illud Iustiniani est, quo prooemium suarum Institutionum inchoat: Imperatoriam Majestatem (inquiens) non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam. Quod cùm ita sit, & nusquam armamentaria desint, ut etiam publicis scriptis publicè loca assignentur, ubi conservari possint, ratio postulat. Inde Iustinianus intermissum conservandorum publicorum monumentorum morem instaurans, à Defensoribus civitatum in quaq; civitate domum aliquam publicam in eum finem secerni jussit,[a] quam impropriè etiam ἀρχεῖον appellavit, tanquam ibi istrumenta quasi in palatio atque custodiâ Principis reconderentur: quo nomine tamen Vlpianus monumentorum receptacula longè antè nuncuparat:[b] ipsum per vocem γραμματοφυλάκιον

a Novel. 15. § Conficiat etiam.

b L. 9 §. de Poenis. D.



interpretans. Atque eum quidem morem temporibus Ciceronis diligenter obſervatũ fuiſſe, ipſe diverſis locis teſtis eſt, atq; iſtiuſmodi receptacula tabularia nominat. Cùm autem non temerè quicquam eorum, quæ vetuſtas in republica aut ad ſecuritatem aut ad ornatum facere putavit, in hiſce provincijs deſyderes: antiquitus univerſæ Brabantiæ tabularium Nivellæ fuit, Antverpiæ deinde, ac poſtremò, velut in tutiorem commodioremque locum, in arcem Vilvordianam eſt tranſlatum, ubi quo hoc capite traditur modo, cuſtoditur.

Principem bellum non aſſumpturum ſine conſenſu Ordinum: neq; quicquam conſignaturum, unde provincia detrimentum capiat.

CAPVT. III.

Non infimum ſupremæ poteſtatis ſignum eſt, bellum per ſe poſſe ſuſcipere.

NVNQVAM nos, tanquam Brabantiæ & Limburgicæ Dux, ob cauſſas Principatum earundem provinciarum contingentes, obſtringemus adver-

adversus quenquam bellum suscipere, aut pignerationem contra aliquem facere, faciendam've curare, nisi de consilio & consensu nostrarum civitatum & provinciæ Brabantiæ. [b] Neque promittemus aut consignabimus quicquam, quo ullo modo hę provinciæ, earum've limites, civitates, vel earum rerum quidlibet, aut etiam jura earum, immunitates, privilegia labefactentur aut imminuantur: [c] aut denique incolæ earundem provinciarum damnis involvantur.

atqui Princeps jurat, se id non facturum.

b Non dominus reipublicæ est Princeps, sed velut procurator & œconomicus.

c Si hoc ad ferendas leges trahi poteſt, ut poteſt, concidunt præclara illa placita, quorum vigore tot millia sunt trucidata.

COMMENT.

CUM nihil æquè in commune mortalibus noceat, atq; bellum, vitari illud debet, quantum poteſt: & cùm in subditos magis, quàm in Principes, ejus incommoda redundent: & Principes etiam non minorem curam subditorum tranquillitati & saluti, quàm parentes debeant liberis, debere in confesso sit: ut illi sine subditorum consensu bellum non suscipiant, rationi prorsus consentaneum est. Sed hac de re præcisiùs dicendi locus erit capite undetrigesimo. Quòd autem ibidem pignerationem se non facturum Princeps promittit, hanc significationem habet, ipsum

extra bellum manum non injecturum in alterius subditos eorum've bona: quod nostris temporibus sæpe fieri vidimus, & aliquando etiam justas alienigenarum navium classes in Gallijs, Hispanijs, alibíve detineri. Ejus generis etiam videri vult insidiaria illa Caleti occupatio, anno septimo & quinquagesimo facta. Præclara sanè clarigatio, sive belli denuntiatio, cùm nullâ querelâ de injuriâ factâ, imò ne injuriâ quidem factâ ullâ, alter alterius insignes civitates per insidias occupat. Et qui hæc faciunt, communi scilicet Christianismi titulo contenti esse nolunt: cùm à cognitione Dei remotissimis veteribus illis Romanis religio fuisset, aperto etiam marte cuiquam bellum inferre, priusquàm feciales in fines eorum, qui populo Romano injuriam fecisse dicerentur, profecti restitutionem petijssent, illisq; recusantibus, postmodum pater patratus eodem profectus, clarâ voce (unde clarigo etiam nomen habet) prolatis caussis bellum indixisset, simulque hastam in eorum fines immisisset. Est profectò, quòd nos nostrorum morum pudeat. Non dissimilis autem huic pignorationi est illa, cujus capite quadragesimo quarto fit mentio, nisi quòd illic agatur de manus injectione hominis privati

vati in privatum, eumque non ipsum ejus debitorem, sed debitoris fortè civem aut conterraneum.

Sequitur, Principem neque promissurum neque consignaturum, quod ullo modo subditis in detrimentum cedat. Concidunt hîc promissa Romano idolo ejusque mancipijs de trucidandis subditis ob religionem facta: concidunt eâdem de re edicta, tam multiplicia, ut in justum propè librum excurrant. Sed quæret fortè quispiam, liceat'ne coërcere hæreticos? Convitia in Deum dicere, capitale est apud Mosen, [a] eãdemque pœnam abominationi illi constituit [b] Iustinianus. Habere Deos alienos, graviter apud Mosen interdicitur [c]. Similiter [d] sculptile facere. Capitale rursum apud eundem est, idolis immolare. Vnicum inter Deum & homines mediatorem disertè Paulus pronunciat [e] Christum. Eundem redemisse genus humanum: eundem ejus lucem, justitiam, atq; salutem esse: in eodem sacrificia expiatoria cessare, plenæ de ijs sunt sacræ literæ. Sicut etiam, eundem undecunque sibi cœtum congregare eorum, qui in ipso spem salutis collocant: indeque quasi unum corpus facere, cujus ipse sit caput. Atque ut in eorum cœtibus omnia ordine

a Levit. 24.
b Novel. 77.
c Exod. 20.
d Exod. 22.
e 1. Timot. 2.

f 1. Corin. 14. cognitisque linguis fiant, requirit[f] Paulus. Cùm autem idem Paulus, magistratus à g Roman. 13 Deo constitui, ejusq; ministros esse dicat[g]: indeque eos non minus ea, quæ Dei sunt, quàm quæ hominũ, curare debere, consentaneè inferatur: quin ex officio teneantur, ut quantũ in ipsis est, atq; sine rerumpublicarum periculosâ turbatione fieri potest, prædicta, atq; quicquid expressè in Verbo Dei continetur, docenda, observanda, atque exequenda curent, non facilè, credo, quisquam litem moverit. At ex centum illis millibus, quæ suprà crudelissimè sublata esse diximus, ne unus quidem (quod verè dici potest) Verbo Dei detrectavit: sed contrà ad unum omnes, ad extremum usq; spiritum, ex eo rectiùs doceri postularunt. Vtri autem, qui passi sunt nimirum, an verò qui condemnarunt, meliùs se prædictis atque sacris literis accommodarint, Deus jam tandem cum horribili tam protervè effusi innocui sanguinis vindictâ, manifestum facit. Et ut nævi aliquid in illis fuerit, irrita tamen ab initio edicta illa fuisse assero, quòd citra Ordinum consensum sint publicata. Nam in criminibus etiam interest populi, ne ab uno leges scribantur, sed illi etiam intersint, in quibus tanquam capitibus & patro-

patronis suis, repositam spem & fiduciam habet, ipsos præter æquitatem nihil admissuros. Atque hac quidem in re satis vel hoc capite cautum est. Cùm enim nihil in subditorum detrimentum consignare Princeps possit: & lex quæ subditos affli-ctet, consignari debeat: caussa ejus subditorum primoribus probetur, ipsique in legem consentiant, postulat profectò ratio.

De titulo, insignibus, & sigillo.

CAPVT. IIII.

ASSVMEMVS titulum, & insignia Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgicæ, & Marchionatus sacri Imperij, ut par est: & secundum eundem titulum & insignia faciendum scalpendumque curabimus sigillum, evidenti signo ab alijs nostris sigillis diversum: quod mutandum, aut aliud secundum id scalpendum sive effingendum, curare nullo modo, aut ad id consentire, nisi justâ de caussâ, poterimus: quod tunc quidem etiam de consensu triū Ordinum provinciæ nostrę Brabantię faciemus.

mus. Debebit autem ſigillum illud perpetuò in Brabantiâ manere, neque exportari poterit: & ſignabuntur eo omnes provinciæ Brabantię & Tranſmoſanæ, earundemq; incolarum cauſſæ: neque verò aliæ. Tabulæ verò earum cauſarum ab aliquo ad res Brabanticas conſtituto Secretario conficientur.

COMMENT.

VT oſtendam, qua ratione Brabantiæ Duces Lotharingiæ titulo & inſignibus utantur, nonnulla aliquantò altiùs repetenda duxi. Traditur Auſtraſiam ita in longum latumque patuiſſe, ut à Burgundia ad Scaldim uſque ſe extenderit, & ab altera parte eam Rhenus ad Batavos uſque terminarit. Eam autem deinde ſive à Lothario Imperatore, ſive ab ejus filio Lothario, Lotharingiam fuiſſe nuncupatam. Deinde hanc in ſuperiorem & inferiorem diviſam, multis tum partibus mutilatam. Poſtremò autem circa annum milleſimum centeſimũ ab Henrico ejus nominis quarto Imperatore, inferiorem, ut tum erat, in Godefridum cognomento Barbatum, Lovanienſem tunc Comitem, clientelari jure

cum

cum Ducatus titulo collatam : & ab ejus cognomine (quod tamē divinationi, quàm veritati videtur esse similius) Brabantiam, quasi Barbatiam, appellatam. Eum verò superioris etiam, quæ Lotharingiæ nomen retinuerat, ut adhuc retinet, jam tum titulum usurpasse, tanquam jus in eam sibi asserens: quomodo alienorum regnorum provinciarumque inanes titulos usurpare, non est insolens, neque novum.

De Limburgicę titulo & insignibus hanc rationem invenio. Ducatum illum à civitate Limburgo nomen habentem, ab Henrico ejus Duce, quòd liberos non haberet, circa annum millesimum ducentesimum & octogesimum, Iohanni ejus nominis primo Brabantiæ Duci, fuisse venditum. Post ejus tamen mortem eum Childericum Comitem occupasse. Iohannem autem Brabantiæ Ducem ideo illi bellum intulisse, ac anno supra millesimum ducentesimum nonagesimo tertio prælio victum captivum abduxisse, atq; ita Ducatum illum deinceps ipsum ejusque posteros obtinuisse.

Marchionatus sacri Imperij titulus, esse Brabantiæ titulo antiquior videtur. Qui enim de eo scribunt, alij ejus institutionem ad Iustinianū Imperatorem, alij supra eum,

alij

alij ad Ottonem ejus nominis secundum Imperatorem referunt. Otto autem ille circa annum noningentesimum septuagesimum Imperium tenuit:ut quæ istius Marchionatus recentissima institutio invenitur, Ducatus Brabantiæ institutionem centū triginta circiter annis præcesserit. Alij alios huic Marchionatui terminos tribuunt. Qui longissimum faciunt à Valencenis inchoantes secundum Scaldim mari terminant. Alij Nivellâ, Bruxellâ, Lovanio, Antverpiâ concludunt. Plerique autem Antverpiam primariam ejus civitatem faciunt. Vnde Marchionatum Riensem propè Antverpiam situm, illius esse reliquias videri possit: cùm magnus ille Brabantiæ Ducatu maximè consumptus sit, ejusque nomen, nisi quatenus Imperij Majestatem Brabantiæ impertit, illamque in Imperij clientelâ esse indicat, inane factum esse videatur. Et cùm hæc dignitas eo loco, tanquam in finibus Imperij, ad arcendas Danorum incursiones maximè esse erecta inveniatur: fines autem limites've Imperij à Germanis marcas, & gravios præfectos antiquitus appellatos fuisse, non obscura argumenta sint: quid sibi vox Marcgravius velit, mox manifestum fit. Significat, nempe

limitis

limitis Imperij Præfectum, quem recentiores tanquam Latino vocabulo Marchionem nominarunt. Circa tempora Iuſtiniani fortaſſe Limitaneus Præfectus dictus eſt: quomodo milites, qui in finibus ſive limitibus merebant, limitanei tunc vulgò appellebantur [a]. Promiſerat in Inauguratione ſuâ Caroli Audacis filia Maria, idem de Gelriæ Zutphaniæque titulis & inſignibus, de quo ad caput undequinquageſimum nonnihil dicemus.

[a] L. ult. De off. Præf. Prær. Afric.

De Cancellario, & Conſiliarijs Brabantiæ.

CAPVT. V.

SVSTINEBIMVS ſeptem venerabiles viros, quorum unus Cancellarius & Sigillator erit, Brabantus natione, & tres linguas callens, Latinam, Gallicam, & Germanicam, qui ſigillum noſtrum cuſtodiet. Quatuor in provinciâ noſtrâ Brabantiâ nati, ibidemque domicilium atque facultates habentes, aut etiam Baronica prædia, ſive ſuo nomine, ſive per cauſſam matrimonij, ibidem poſſidentes: reliqui duo in noſtro Conſiliô noſtro nômi-

ne erunt, quales videbitur, Germanicè callentes. Per quos ſeptem, & alios in præſens illis adjunctos, & quos etiam in poſterum illis adjungere viſum fuerit, Nos noſter've generalis Gubernator aut Gubernatrix tractandas atq; exequendas curabimus omnes per eandem provinciam adminiſtrandæ juſtitiæ, & quicquid inde dependet, cauſſas: juris videlicet experiundi conceſſiones, ſtatuta, placita, edicta, ordinationes, mandata: aut alioqui communi & Gubernatoris, & illorum Conſiliariorum conſilio. In quo etiam illis nemo impedimento eſſe, aut moleſtiam exhibere poterit: neque in eo alterius, quam noſtro, aut generalis noſtri Gubernatoris Gubernatricis've imperio obnoxij erunt. Et quicunque noſtri ſucceſſorumque noſtrorum futuri ſunt aut Conſiliarij aut Secretarij, priuſquam ea officia exercere poterunt, ſimili fide atq; jurejurando, qua ſe nobis ſucceſſoribuſ've noſtris obſtrinxerint, tribus Ordinibus ad totius noſtræ provinciæ uſum promittent atq; addicent, ſe nunquam interfuturos, aut tabulas publicas confecturos, ſignaturos, ſigillaturos, ubi, aut quibus aliqua harum noſtrarum provinciarum, aliqua oppida, arces, ſubditi, reditus, aut dominia, terra marive, citra

Nonnihil lucis hinc accedit poteriori parti cap. 3.

citra ultra've Mosam sita, quocunque modo oppignerentur, in feudum dentur, vendantur, alienentur, minuantur, graventur, implicentur, donentur, aut remittantur: nisi de consensu dictorum trium Ordinum. Siqui autem Consiliariorum, Sigillatorum, aut Secretariorum, in consilio, officio, functionéve contra hæc quicquam committere deprehendentur, de eo nos eos de consilio Nobilium & civitatum provinciæ nostræ Brabantiæ, aut majoris partis eorum, castigabimus. Etiam pœnæ inflixio non est in solius Principis potestate.

COMMENTARIVS.

INAVGVRATIONE Ducissæ Mariæ octo Consiliarij constituti fuere, ita ut is numerus augeri non posset. Hîc septem constituuntur, ita ut numerus augeri possit: ut etiam ferè ab initio duplo plures fuerunt. Sed non est mirum, istiusmodi pro tempore & caussis evariare. Et exactè quis numerus eorum, quod officium, aut quæ authoritas quoq; tempore fuerit, perscribere, vix operæpretium esse puto. Quandiu judiciorum ratio simplex & genuina fuit, pauci suffecere illi muneri: posteaquam autem hæc intricatio atq; perversitas judi-

cia invasit, augeri debere eorum numerum, visum fuit. Quanto autem cũ fructu commodóve reipublicæ id factum sit, de eo sanè nihil hîc dixerim. Dictio autem, Cancellarius, non ita nova est, quin ea Arcadius & Honorius Imperatores usi sint [a] : & ut ex illis apparet, minor tum Cancellarius Consiliarijs fuit. Et Accursius etiã eo loco [b] Cancellarium notarium interpretatur. Cancellarium autem alij à cancellando dictum putant, id est, inducendo sive transversis lineis expungendo, in quo sensu ea voce Iurisconsulti usi sunt, [c] quòd quæ in Principum publicisve scriptis non viderentur consentanea, traductis lineis deleret: alij autem, quòd quo publico loco officio fungeretur, is cancellis munitus esset, nequa scripta aut chartulæ subriperentur: quod propiùs ad rationem accedit. Quæ nominis interpretatio prædicta etiam confirmat: verùm quemadmodum omnium rerum vicissitudo est, ita id quoq; sic postmodum est mutatum, ut Cancellarius, qui illis temporibus Assessorum sive Consiliariorum actuarius erat, nunc inter eos primarius atq; Præses sit. Omittendum autem hoc non puto, Consilium hoc Principis atq; subditorũ commune esse, neq; quia tam subditis, quã Principi jure-

a L. 3. & 5. de Assessor. C.

b L. 3. eodem

c L. 2. De his quæ in testament. del. D.

Infrà cap. 14.

jurejurando est obstrictum, nisi cum perjurio nocere posse. Alia ratio est eorum, qui universæ Majestatis potentiæque respectu, Principum Consiliarij sunt, qui nullis provincijs, nullis populis jurejurando obstricti, ex tyrannidi assuetorum Iurisconsultorum libris [d], in Principum aures, ipsos legibus solutos esse, insusurrare norunt. Indeq; longê alia mente, quàm illi scripserunt (quos alioqui præstantissimos fuisse viros, atque æqui boni religiosissimos interpretes, præclara ipsorum monumenta testantur) pro arbitrio illos omnia agere posse, inferunt: promissa in speciem, & (quod non inscitè à Iurisconsultis dicitur) dicis caussa tantummodo facta: jus-jurandum contra illud Principum jus non obstringere, aut ejus vim à Pontificis authoritate pendêre: ipsos quam velint, vivendi normam atque adeo religionem præscribere subditis posse. Quæ profectò projectissimorum adulatorum parasitorumque magis, quàm Consiliariorum Iuris've consultorum, inter quos tamen vel culmina haberi volunt, voces sunt. Quorum tamen quidam præcipuus, cum superioribus annis de pacificatione inter Hollandos & Regios instituenda ageretur, magnis quibusdã viris præsentibus, dicere non erubuit,

d L.31. De leg. Senat. P.

si Rex aliquam Religionis mutationem permitteret, se contra illum arma sumpturum, omnesq; quas posset, provincias concitaturum. Vnde liquere potest, quo illi animo Principũ auribus, quæ illis tinniant, obmurmurent: versipelles certè, aliud agentes & non tam ad Principum, quàm ad sua commoda respicientes. Sed hac de re pro hoc loco fortasse nimis multa.

Cujusmodi Brabantiæ Consiliarij esse debeant.

CAPVT VI.

NEMINEM in juratum Brabantiæ Consiliarium aut assumemus aut retinebimus, nisi virum bonum, in Brabantia ex legitimo matrimonio natum, & ibidem domicilium atque facultates habentem: aut etiam Baronica prædia, sive ipsius propria, sive per caussam matrimonij ibidem possidentem: exceptis nostri Consilij duobus illis, qui tamen Germanicam linguam callere tenebuntur.

COM-

COMMENT.

DISPVTATVM à veteribus eſt, an orator quiſquam dici poſſit, qui non idem vir bonus ſit, quantumvis eloquens & diſertus eſſet. Et inclinarunt ſententię, ut talis cauſidicus potiùs, latrator, aut rabula dici deberet. Cujuſmodi igitur nomina Iuriſconſultis non viris bonis, cujuſmodi ejuſdem notæ Conſiliarijs dabimus? Hîc verò promittit Princeps, ſe viros bonos in Brabantiæ Conſilium adoptaturum: quod profectò nequaquam leviter eſt æſtimandum. Quod porrò de legitimo toro dicitur, de eo peculiare caput eſt, undevigeſimum nempe, quo ſtatuitur, neminem, qui ex legitimo matrimonio prognatus non ſit, ullis in Brabantia dignitatibus publiciſve officijs fungi poſſe. Baronicis ſive nobilibus prædijs hoc hîc tribui, ut non Brabantum à ſe aut ab uxore ea in Brabantia poſſidentem, tanquam Brabantiæ civitate donent, atq; civem faciant, non ſanè eſt abſurdum: cùm in tantæ dignitatis viros malignitatis alicujus aut pravitatis ſuſpicio non facilè cadat. Hîc alibíve admonere, in hoc ſcripto per Germanicam linguam, Braban-

ticam ſive Flandricam debere intelligi ſuperfluum puto.

De loco Brabantiæ curiæ & ærarij.

CAPVT. VII.

VIROS bonos ex Brabantico conſilio deligemus, qui quo loco nos in Brabantia commoraturi ſumus, noſtro nomine curiam conſtituant: & ſi nos peregrinari contingat, curiam ipſi alicubi in Brabantia commodo loco collocabimus: plenam autem illi cujuſq; deſyderijs noſtro nomine ſubveniendi poteſtatem habebunt. Ærarij locus atq; ſtatus futurus eſt, qui & cujuſmodi hactenus.

COMMENT.

MVLTIS annis antequam Rex Philippus inaugurraretur, Brabantiæ curia quaſi ſedem fixerat Bruxellæ. Quamobrem quod de ea per abſentiam Principis alibi collocanda hîc dicitur, partim imitatione ſuperiorum Inaugurationum,

num, partim quò spe ejus retinendæ Bruxellenses magis obnoxij redderentur, factum puto. Nam nulla quidem Brabantina civitas ad juridica gubernatoriáve collegia Bruxella est commodior, sive magnificentiam urbis sive situm spectes. Et ea virtus ejus civium cùm semper, tum maximè periculosissimis hisce temporibus effulsit, præcipuè verò, cùm impotentissimum illum tyrannum ferocissimis minis decimationem urgentem, rationibus sustinuerunt, providaq; patientia ejus conatus distulerunt, donec maritimis hominibus prorsus ejus jugum excutere oportunum esset: ut ea civitas digna sit, quæ non solum quæ hactenus habuit, retineat: verumetiam quam omnes Belgicæ provinciæ omni honorum commodorumque genere certatim cumulent.

Qua lingua diplomata scribi debeant.

CAPVT. VIII.

EPISTOLÆ & diplomata, quæ deinceps in Consilio nostro Brabantico nostro nomine concedentur aut emit-

emittentur, sive nostra caussa, sive ad preces subditorum, conficientur & emittentur ea lingua, cujus usus est eo, quo mittentur, loco.

COMMENTARIUS.

INCOGNITA lingua ad aliquem scribere, eundem deridere est. Et pessimè certè de nostris hominibus meriti sunt, qui publicis formulis tantam farraginem peregrinarum vocum immiscuerunt, ut qui eas intelligere velit, longo usu, ut peregrinam linguam, discere debeat. Sed hoc absurdius est, quòd nonnullis Brabantiæ locis omnes contractus, qui pro more coram duobus judicibus, tanquam testibus, in publicos commentarios referuntur, Latinè scribuntur. Atq; , quod mireris, ita Latinè, ut si Cicero reviviscat, eaq; legenda sumat, si quidem nonnulla verba, certè sensum eorum non intelligat. Adeò in nostra incommoda ipsi proni sumus. Si quis linguæ paupertatem causari velit, næ ille ejus indolem & dotes ignorat. Tam enim exercitato huber & copiosa est, nihil ut sit, quod ille nonquàm elegantissimè exprimat.

Cujusmodi Cancellarius, Secretarij, & Scriba rerum clientelarium esse debeant.

CAPVT. IX.

NEMINEM in Brabantia Cancellarium aut Sigillatorem creabimus, nisi qui sit ex legitimo matrimonio in provincia nostra Brabantia prognatus, ibidemque commoretur & facultates habeat: aut Baronica prædia à se vel ab uxore ibidem teneat: trium linguarum (quomodo suprà dictum est) gnarus, & alioquin etiam ad illud officium idoneus, provinciæq; utilis. Qui Cancellarius coram nobis & tribus Ordinibus ad nostrum nostræq; in commune provinciæ usum, competens illi officio jus-jurandum præstabit, prout suprà capite quodam continetur, in quo de promissis à Consiliarijs, Sigillatore, & Secretarijs tribus Ordinibus faciendis agitur. Brabantiæ etiam Secretarij, rerumque feudalium Scriba, natione Brabantini erunt: poterimus tamen Secretarios duos constituere, qui Brabanti non sint.

COMMENTARIVS.

PROMISERAT Carolus Imperator in Inauguratione sua, se Cancellarium creaturum consilio collegij Consiliariorum Brabantiæ, aut saltem eorum sex, qui etiam jurati testari deberent, sibi videri, illum & Principi & toti in commune provinciæ, in eo officio fore utilem. Id hîc ita mutatur, ut simpliciter Princeps promittat, Cancellarium se creaturum, qui ad id officium idoneus, sibique & toti in commune provinciæ utilis sit futurus. Atque hujus rei caussa hoc caput maximè positum videtur, cùm de reliquis paulò superiùs abundè dictum sit: nisi quòd in fine nonnihil etiam de Secretarijs Brabantiæ atq; rerum clientelarium Scriba dicatur.

Quot-

Quotquot publicas functiones habent, ad Inaugurationis observationem jurejurando se obstringere debere.

CAPUT. X.

CANCELLARIUS, Consiliarij, Secretarij, Præfecti ærarij, Scribę, Præfecti provinciæ, vivariorum & sylvarum Præfecti, omnesq́; alij, qui majora aliqua officia tenebunt: & similiter omnes, qui in agris publicas aliquas functiones habebunt: & Consules etiam, Scabini civitatum, ac omnes deniq; qui nostro Vasallorumq́; nostrorum nomine jus aut justitiam administrabunt, per omnia sacra jurabunt, se, quatenus quemq; tangit, hanc nostram Inaugurationem in omnibus observaturos, neque ullo modo consilio aut factis contra illa quicquam molituros.

Cogitent quid fecerint qui Principi Inaugurationem pedibus conculcanti adjumento fuerint.

COMMENT.

IN magni momenti rebus, & ijs præsertim, quæ ad conservationem reipublicæ faciunt, & solenne est, & æquum

& æquum jus-jurandum adhibere; Nam quæ humana in constantia est, fræno illi aliquo opus est, quo ad servandam fidem constringatur. Neque ad id ullum jurejurando est accommodatius, ut quo Deum, nos fallere nolle, testem invocamus, & ut si fallamus, nos puniat, petimus. Ita enim habet juris-jurandi solennis clausula, *Ita nos Deus adjuvet.* Quod aliam interpretationem non habet, quàm si fidem servamus, ut juvet: sin fallimus, ut perdat. Quod in clausula adjectum fuit hactenus, *Et omnes sancti ejus:* prævaricatorum Theologorum commentum fuit. Apud Mosen hoc præceptum extat [a]: Per nomen illius jurabis. Quod per emphasin hanc significationem habet: Per illius solius nomen: sive: per illum solum jurabis: quomodo proximis præcedentibus verbis expresse ibidem dicitur: Illi soli servies. Et quàm absurdum sit, eos testes invocare, qui nec adsint nec audiant, quis non videt? Deus solus ubiq; est, & actiones hominum intuetur. Quam potestatem ut belli illi homines novis suis Dijs tribuerent, piorum animos in facie Dei, tanquam in speculo, quicquid in terris homines agerent, videre finxerunt. Si (quod verè dicitur) sine lege loqui Jurisconsulto turpe est, turpe pro-

[a] Deuteron. 6.

profectò Theologo est, sine expresso Verbo Dei loqui. Et ob execrabilem illam illorum hominum audaciam quàm horribiles nunc pœnas luimus?

Publicis functionibus præditos jurare debere, se munera non accepturos, neq; per munera publicas functiones se esse consecutos.

CAPVT. XI.

QVI NOBIS à consilijs sunt, omnesque alij nostri ministri, Iudices, Consules, Scabini, Consililiarij, Vasalli, omnesque alij, qui judicium postulandi aut ferendi potestatem habent: deniq; quicunque per Brabantiam, sive in civitatibus, sive in municipijs, sive pagis, qualescunque publicas functiones aut officia tenent: ad unum omnes, cùm solenne jusjurandum præstabunt, simul jurabunt, se, ut cuiquam in judicio aut prosint aut obsint, neq; pecuniam aliam've quam rem, neque munera, neque remissionem, neque aliud quod- *Summæ sanctimoniæ lex, sed observationis raræ.*

quodpiam beneficium, neq; per se neq; per alios accepturos, neque promitti passuros: sed se citra omnem fraudem optima fide unicuiq;, tam pauperi quàm diviti, æquabiliter jus & justitiã administraturos, insuper se, ut Consules, Scabini, aut Consiliarij fierent, neq; pecuniã aliam've quam rem, neq; munera, neq; remissionem, neque officium aliquod aut beneficium, aut dedisse, aut promisisse, aut obtulisse: neq; per alium suo nomine aut dandum, aut promittendum, aut offerendum curasse: neq; earũ rerum caussa ullo modo quenquam rogasse, rogandum've curasse. Siquis verò contra hæc fecerit, is nunquam in nostro Consilio, aut ministerio, neque in magistratu aut administratione nostrarum civitatum, municipiorum, aut pagorum ullo modo esse poterit.

COMMENT.

QVI in publicis functionibus munera acciperent, aut ut eas consequerentur, darent: hìc in perpetuũ ab ijs removentur. Quod sanè ita accipiendum non est, tanquam judex, qui ob judicandum aliquid acceperit, ea pœna defungatur, & non ulteriùs ex præscripto juris punia-

puniatur, quod pro qualitate rei etiam ad relegationem & exilium procedit[a]: tanquam item qui terrore potestatis illicitè aliquid extorserit, nō ulteriùs etiam puniatur: qua de re capite duodecimo Additionis videbimus, ut quo de eo crimine peculiariter agatur. Sed hoc hîc actum videtur, ut tam viles noxijq; homines à publicis functionibus expeditiùs removeri possent. Quod idem dicendum venit de ijs, qui datis muneribus publicas functiones consequuntur, quos præter remotionem etiam in quadruplum ejus, quod dedissent, multari debere, satis præscripta juris innuunt[b]. Quę tantundem multæ in eos, qui ob conferendas functiones accipiunt ampliùs, quàm licitum est, etiam statuunt. Cui Iustinianus etiam minas de Imperiali indignatione, & omnis dignitatis amittendæ periculo, adijcit[c]. Atque utinam quæ ille Novella octava de eo præcipit, diligenter proximis annis observata essent. Non cum tanto reipublicæ malo civitatibus arcibusque præfecti fuissent homines fidei tam dubiæ. Non tot, qui omnia reipublicæ impenderunt, deplorarent, nullam esse compensationem. Si duo competitores sint, quorum alter de republica bene meritus,

a L.38.§ Iudices, de pœnis, D.

b L.ult. Ad. l. Iul. repetund. C.

c Novel. 8. §. Sciat enim Celsitudo.

meritus,alter novitius sit,aut etiam ab hostis partibus steterit: hic priori præferetur. Quorsum hanc ego ratiocinationem audire videor: ille quia bene meritus est, putabit sibi deberi, aut fortasse etiam exhaustus est, ut parum possit: novitius autem,tum quia aucupandam gratiam, tum verò etiam quia beneficium omnino gratuitum arbitrabitur, multò futurus est liberalior. Sed si (id quod in confesso est) quemadmodum pœnis,sic etiam premijs respublica sustinetur, ut etiam hoc nomine Iustiniani illa pręcepta exequenda suscipiantur,par est, atque postulat ratio.

Neque Limburgicam neque Transmosanam à Brabantiâ separari posse.

CAPVT. XII.

PROVINCIÆ nostræ, Limburgensis & Transmosana, in perpetuum conjunctæ manebunt cum provincia nostra Brabantia, neque unquam ab ea divelli poterunt. Reliquas autem nostras Transmosanas ditiones, quam commodissimè poteri-

poterimus, redimemus, easque ita, ne deinceps separari possint, provinciæ nostræ Brabantiæ jungemus. Deinde Brabantiæ etiam conjuncta manebit Gravia & Oyen cum ijs, quæ ad ea loca pertinent: aliaq; etiam, quæ ab ijs alienata sunt. Tantum quidem faciemus, ut dominium Oyen, quod nunc extra ditionem nostram est, iterum ditioni nostræ subjiciatur, & ut alias fuit, Brabantiæ conjungatur, quatenus quidem id jure licebit. Neque provincias aut arces nostras Transmosanas, simulque quæ ad illas pertinent, ampliùs quàm in præsenti sunt, gravabimus aut implicabimus. Et siquando illæ in nostram ditionem redierint, continuò per fidejussores locupletes cis Mosam degentes, securitatem provinciæ nostræ Brabantiæ faciendam curabimus, arces earum, quàm primùm fieri poterit, ipsi tradendas esse, in easdemque & civitates Brabantos aut etiam indigenas in præsidijs collocandos, qui locupletibus cis Mosam degentibus datis fidejussoribus, nobis nostræque provinciæ Brabantiæ eam securitatem præstabunt, ut certi esse possimus, eas nullo modo à Brabantia separandas esse. Atq; tunc quidem Transmosanas illas provincias, arces, aut civitates nullo modo ampliùs oppignerabimus aut

 aliena-

alienabimus: subditis interim nostris Transmosanis, secundum consuetudinem cuique competentium judiciorum, jus & justitiam administrabimus.

COMMENT.

DVCATVS Limburgensis respectu Brabantię quoq; Transmosana provincia est. Sed videtur placuisse, ut Comitatus Dalenienfis, regio Valckenburgensis, & nonnulla alia Transmosanæ nomine peculiariter censerentur: quanquam capite primo ea voce Limburgensis quoq; Ducatus comprehendatur. Quod & alibi sæpe observare erit, quomodo ediverso capite quarto illa omnia sub Limburgo comprehendi videntur. De Limburgo verò ad idem caput quartum satis diximus. Dalenium autem & Valckenburgum à Brabantiæ Ducibus armis subacta leguntur, hoc ab Henrico ejus nominis secundo, illud ab Iohanne tertio. Et quia illis temporibus Brabantiæ Principes sine Brabantis subditis parum possent, videtur inter utrosq; convenisse, ut quicquid communibus armis in potestatem redigerent, Brabantiæ in perpetuum necteretur. Quod etiam confirmat

caput undetrigesimum, ad quod hac de re nonnihil dicturi sumus. Quod verò de Gravia & pago Oien hic inseritur, de eo ad caput undequinquagesimum commodior dicendi locus erit.

De libera Brabantorum sub consueto vectigali commeatione: De Sylvaducensium vectigalis immunitate: & Siquis Brabantus Principis caussa peregrè detineatur.

CAPVT. XIII.

EFFICIEMVS, ut subditi nostri Brabantini & Transmosani, sub legitimo vectigali, liberè & sine molestia commeare possint per provincias nostras Hollandiam & Zelandiam, & omnes alias, quomodo hactenus consuevere. Insuper efficiemus, ut ijdem nostri Brabantini & Transmosani subditi, per quascunque regiones ultrò citroque commeare possint, liberi ab omni ære alieno

& promiſſis, quod quæ've nos, aut fortè deceſſores noſtri, contraximus aut fecimus: aut nos etiam poſtmodum contrahemus aut faciemus. Præterea civibus civitatis noſtræ Sylvæducis, confirmavimus & ſtabilivimus, confirmamus & ſtabilimus ea diplomata, quæ habent à fœlicis memorię Duce Brabantiæ Iohanne, & Domina Iacoba Duciſſa Bavariæ, continentia, merces eorum, & cùm exportantur & cùm importantur, per Hollandiam & Zelandiam vectigalis immunes eſſe: jubebimuſque noſtra ea de re diplomata, ſecundum tenorem eorum quæ habent diplomatum, perfecta confiri. Et quantum ad Gelriam attinet, per eam etiam provinciam ijdem cum mercibus ſuis vectigalis immunes ultrò citroq; commeabunt, ſecundum tenorem diplomatum, quę ſimiliter de eo habent. Siquis verò noſtrorum ſubditorum, ob debita promiſſáve noſtra aut noſtrorum deceſſorum, apprehendatur damnóve afficiatur, eum liberabimus indemnemque ſervabimus, ſecundum ea, quę ea de re edita Conſtitutione, Gallica vocata, continentur.

COM-

COMMENT.

BRABANTIÆ Ordinum diligentia cùm in alijs omnibus, tum in hoc quoq; perſpicitur, quòd cùm aliarum provinciarũ Principem in Ducem aſſumpturi eſſent, Brabantos in illis ejus provincijs ſupra ſolitum gravari non debere caverint: cùm alioqui Principibus illis id pro jure ſuo licitum fuiſſe videri poſſet.

Mirabile autem illud tanti momenti Sylvaducenſium privilegium: cujus cauſſam aperiri, multis fortaſſe non ingratum erit. Poſtquam igitur Henricus Quartus (quomodo ad caput quartum dictum eſt) inferiorem Lotharingiam, mox Brabantiam dictam, in Godefridum Barbatum contuliſſet, & (ut aſſolet) novi Brabantiæ Principes undique à vicinis laceſſerentur: ſeptuageſimo circiter anno ea civitas condita eſt, quæ ea parte adverſus Gelros Hollandoſq; Brabantiæ propugnaculum eſſet. Et cùm ejus initia acriter oppugnarentur, atque ante trigeſimum ortus ſui annum à Theodorico Hollandiæ Comite direpta eſſet: Principes omni beneficiorum genere eam cumulandam putarunt, quò & cives retinerent, & exteros

& promissis, quod quæ've nos, aut fortè decessores nostri, contraximus aut fecimus: aut nos etiam postmodum contrahemus aut faciemus. Præterea civibus civitatis nostræ Sylvæducis, confirmavimus & stabilivimus, confirmamus & stabilimus ea diplomata, quæ habent à fœlicis memorię Duce Brabantiæ Iohanne, & Domina Iacoba Ducissa Bavariæ, continentia, merces eorum, & cùm exportantur & cùm importantur, per Hollandiam & Zelandiam vectigalis immunes esse: jubebimusque nostra ea de re diplomata, secundum tenorem eorum quæ habent diplomatum, perfecta confiri. Et quantum ad Gelriam attinet, per eam etiam provinciam ijdem cum mercibus suis vectigalis immunes ultrò citroq; commeabunt, secundum tenorem diplomatum, quę similiter de eo habent. Siquis verò nostrorum subditorum, ob debita promissáve nostra aut nostrorum decessorum, apprehendatur damnóve afficiatur, eum liberabimus indemnemque servabimus, secundum ea, quę ea de re edita Constitutione, Gallica vocata, continentur.

COM-

COMMENT.

BRABANTIÆ Ordinum diligentia cùm in alijs omnibus, tum in hoc quoq; perspicitur, quòd cùm aliarum provinciarũ Principem in Ducem assumpturi essent, Brabantos in illis ejus provincijs supra solitum gravari non debere caverint: cùm alioqui Principibus illis id pro jure suo licitum fuisse videri posset.

Mirabile autem illud tanti momenti Sylvaducensium privilegium: cujus caussam aperiri, multis fortasse non ingratum erit. Postquam igitur Henricus Quartus (quomodo ad caput quartum dictum est) inferiorem Lotharingiam, mox Brabantiam dictam, in Godefridum Barbatum contulisset, & (ut assolet) novi Brabantiæ Principes undique à vicinis lacesserentur: septuagesimo circiter anno ea civitas condita est, quæ ea parte adversus Gelros Hollandosq; Brabantiæ propugnaculum esset. Et cùm ejus initia acriter oppugnarentur, atque ante trigesimum ortus sui annum à Theodorico Hollandiæ Comite direpta esset: Principes omni beneficiorum genere eam cumulandam putarunt, quò & cives retinerent, & exteros

allicerent. Et Henricus tunc Brabantiæ Dux ejus nominis primus (qui tum adhuc Lotharingiæ Dux tantummodo ſcribebatur, credo, quòd ille titulus honorificentior, Brabantiæ verò recentior videretur) Theodoricum mox à direptione illa ſecutus, cùm circa Huſdenum cepiſſet, hauddubiè multa illi extorſit, quæ novæ civitati commodo atque bono eſſent. Sunt qui inter illa vectigalium per Hollandiam & Zelandiam immunitatem ponant: ſed pacis conditiones, quas ego vidi, de eo nihil habent. Neque initium illius immunitatis ante annum milleſimum quadringenteſimum & duodecimum vidi: quo anno ea illi civitati conceſſa eſt ab Iohanne Brabantiæ Duce ejus nominis tertio, qui tum Iacobam Bavaram Hollandiæ Comitem in matrimonio habebat, quo nomine id in illius poteſtate fuit. Sed idem ille Henricus Dux triennio poſt pacem cum Comite Theodorico factam, cum Ottone Gelriæ Comite pacem iniens vectigalium immunitatem novæ ſuæ civitati per Gelriam impetravit. Ejus autem pacis conditiones quia Latinè ſcriptæ ſunt, earum ea de re verba ponam: *Additum eſt etiam, quòd burgenſes de Sylva juxta Orten per totam*

terram

terram Comitis Gelriæ ab omni telonio liberi erunt. Pax autem illa anno ſupra milleſimum ducenteſimum tertio inita eſt, quo tempore illa civitas tam adhuc obſcura fuit, ut à vicino pagulo denotari deberet. Quam profectò mirum eſt, longè intra quadringentos annos ad tantam magnificentiam potuiſſe exurgere: ſed poſt divinam benevolentiam ſimul id Principum ſtudijs & favori, ſimul civium virtuti eſt tribuendum. Vtinam verò qui nunc cives ſunt, à majoribus ſuis non ita degeneraſſent, ut contra omnes vicinos ſuos, ſine quibus tamen civitas illorum nulla eſt, illis gratificari ſtuderent, qui illis præclara illa aliaque permulta privilegia, & jam ſemel ademerunt, & ſi rerum potiri contingeret, iterum adimerent. Quæ vecordia eſt, ſi non hæc eſt? Atque tantum quidem malum à perverſo magiſtratu præcipuè originem habet.

Brabantiæ Dux Iohannes cùm ſe gravi ære alieno videret obrutum, Ordines de eo diſſolvendo habuit ſolicitos. Qui cùm votis ejus paruiſſent, gratitudinis ergô ille Conſtitutionem emiſit, in qua inter cætera ſtatuit, ut ſiquis Brabantus cauſſa æris alieni, aut ipſius aut

cujusquam posterorum ejus, prehenderetur alicubi, bonáve ejus detinerentur, quod inde damni caperet, id ex paratissimis maximeque obvijs Principis bonis resarciretur. Hinc duæ hujus capitis clausulæ originem habent, quarum etiam posterior ad hanc se Constitutionem refert, quam Gallicam vocat, credo quia Gallicè scripta fuerit, quòd eandem Ludovicus Niverniæ Comes confirmarit. Qui quia Ducem filium appellat, illum Iohannem ejus nominis secundum fuisse verisimile est: præsertim cùm hæc Constitutio anno supra millesimum trecentesimum decimo quarto sit edita.

De vijs publicis expeditis & liberis servandis.

CAPVT. XIIII.

NOSTRARVM provinciarum vias publicas, pro ut tenemur, expeditas & liberas citra fraudem servabimus, ita ut quisq; sub legitimo vectigali, per eas ultrò citroque liberè commeare possit: extraquàm si ob debita promissáve, aut ob multam crimen've impediatur.

COM-

COMMENT.

VIARUM usus jure gentium publicus est, & quo minus impediatur, Prætorio jure cautum est a. Hanc tamen justam exceptionem habet, Nisi belli caussa id fiat: quam me alicubi in Principum Brabantiæ Constitutionibus legere memini.

a Nequid in loc. publ. vel itin. fiat. D.

De vijs publicis & pontibus reficiendis.

CAPUT. XV.

EOs, qui prædiorum bonorum've suorum caussa, vias aliquas, pontes, aut transitus expeditos servare tenentur, strictè compellemus compellandosque curabimus, ut eas vias, pontes, & transitus de die in diem rectè reficiant atque expeditos servent. Et si secus fiat, metropolis, sub qua viæ illæ, pontes, aut transitus siti sunt, reficienda illa curare poterit, ejus sumptibus atq; periculo, qui ad id tenebitur. Neque in eo, ut neque in ullo vicinalis juris genere, quisquam excusabitur.

COMMENT.

a De via pub. & itin. pub. refic. D.

b De via pub. & sig. in ea fact. dic. D.

DE hoc etiam Prætoris interdictum extat[a], quod tamen tantummodo reficienti vim fieri vetat. Pro diversitate autem viarum, quantum ad refectionem attinet, diversæ etiam juris rationes inveniuntur. Romæ Ædilium Curulium erat[b] curare, ut quisque ante suas ædes vias publicas repararet: quod muneris in populosioribus civitatibus etiam certis quibusdam hominibus injungitur, aut alioquin id Præfecti curant. In agris vias vicinales (quę sunt, quæ de publicis divertuntur in agros) per magistros pagorum refici solere, author est Siculus Flaccus in libro quem de conditionibus agrorum scripsit. Quos magistros solitos dicit, operas à possessoribus ad vias reficiendas exigere, aut unicuique possessori per singulos agros certa spatia assignare, quæ suis impensis tuerentur. Qui modi ut & à nostris, alius alibi, observantur: ita etiam alicubi possessores ante agros suos istiusmodi vias reficere tenentur. Vias autem publicas, sive Regias & militares, idem Flaccus publicè per curatores vel redemptores reparari solere, ait. Hîc verò

verò nonnulla etiam prædia illi oneri sunt obnoxia, ut tamen neq; illa, neque ulli homines aut viarum aut pontium refectione gravari debere videantur, quandiu tributi viarij collectoribus ad eam rem pecunia suppetat, ut id caput nonum Additionis satis innuit.

Neque vectigalium collectoribus, neque monetariorum socijs, in magistratu esse licere.

CAPVT. XVI.

DEINCEPS ij, qui nostra vectigalia, quocunq; loco in provincijs nostris sita, conducta habebunt, in eóve socij erunt, tempore conductionis, aut quādiu socij erunt: similiter etiam ij, qui in re monetaria socij erunt, non poterunt in nostrarum civitatum magistratus neq; constitui, neq; deligi, neq; recipi.

COMMENT.

OMNES, qui quid à fisco conducunt, publicanos appellari, ait [a] Vlpianus. Eos autem multùm inter se diversos

[a] L. 1. De publ. & vect. & com. D.

diversos facit eorum,quę conducunt,diversitas. Et stante republica Romana in collegia coire solitos,testis est Cicero. Quorum ut quæ tum fuerit existimatio,constet, illius ex oratione pro Plancio verba ponam. Flos enim,inquit, equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur. Ex quibus evidens fit,in summa illos illis temporibus fuisse dignitate. Neq; rejectæ existimationis fuisse comperio ætate Vlpiani, nisi quatenus ipse eos [b] insimulat tum audaciæ tum temeritatis. Quod satis caussæ non fuerit, quamobrem ab honoribus excludantur. Neque verò tunc ab ijs exclusos fuisse, legere profectò memini. Iudæi autem tributi nomine,quod pro servitutis signo habebant, summopere id hominum genus oderant. Christiani odij illius caussa non animadversa,quia exosos fuisse in sacris literis legerent, exosos etiam habuere, honoribusque excludendos putavere. Cujus tamen prægnantiorem rationem hanc putem,ne dum simul in magistratu sint,facilè, siquid commiserint, elabendi viam inveniant: quæ etiam ex eo perspicua fit,quòd & eorum socij à magistratu excluduntur. Mutatum autem publicanorum nomen est,

b L.12.eodé.

est, ferè ut telonarij vocentur, à Græco τέλ☉ & τελώνης, quibus vocibus propè consonant Germanica tol & tollenaer.

Monetariorum diversa ratio est, ut qui sub Imperatoribus Romanis conditionem mutare non [c] potuerint: cujusmodi tum multa hominum fuere genera. Nunc moneta in certum tempus conducitur, quo elapso monetarius in pristinum redit statū. Vt autem monetarius durante officio in magistratu sit, occupationes non ferunt, eademq; in eos eorundemq; socios, quam de publicanis dixi, suspicio cadit.

c L. 1. de mur. il. & gynæc. c.

Non licere ullos captivos extra Brabantiam duci.

CAPVT. XVII.

QVICVNQVE in provincia nostra Brabantia Transmosanáve apprehendetur, eum extra eas provincias evehendum non curabimus, neque evehi permittemus.

Neque hoc caput, neque Academiæ Lovaniensis privilegium, Comitem Butanum vix decennem, tueri potuit, quò minùs in Hispanias abriperetur.

COM-

COMMENT.

HIc nescio deplorandum'ne, an verò succensendum magis sit, quod Burano Comiti Principis Auriaci filio accidit. Nondum ille duodecim annorum erat, cùm ecce tanquam è gremio dulcissimæ ereptus patriæ, in solum & cœlum prorsus peregrinum avehitur: cùm à suavi charissimorum coæqualium avulsus consortio, inter ignotas alienasq; facies abditur eorum, qui non tam oblectamento essent, quàm arctè observarent: cùm ex humanissima dulcium Camœnarum extractus sede, in tetricam sordidissimæ barbariei conjicitur officinam: cùm denique ex pura puta libertate in miserrimam abripitur servitutem, aut potiùs in carcerem intruditur. Barbara hæc omnia, atq; adeò ab omni humanitate aliena. Vbi hîc Lovaniensis Academia jus tuum, quo siquid ab alumnis tuis commissum esset, ejus tu tibi semper vindicationem asseruisti? Vbi Brabantia, quam tantopere jactitas, tua Inauguratio? At vi majori cedendum fuit. Sit verò ita. Vtinam autem Rex Philippe, cùm istud perpetraretur, præsens fuisses. Omnino confidimus,

fidimus,ſcrupulum tibi moturum fuiſſe juſ-jurandum, quo & Lovanienſi Academiæ ſuum illud jus confirmaras, & Brabantis, nunquam te quenquam illorum finibus extracturum, addixeras. Moviſſent te etiam (ni fallimur) præclara illa beneficia, quibus hujus adoleſcentis avus maternus cùm ſæpe alias, tum in expeditione Germanica inviƈtiſſimum Imperatorem patrem tuum affecit. Sed perſuaſerunt Conſiliarij id fieri oportere, quò illius pater conſtringeretur. Sed id'ne tanti erat ò Rex, ut propterea juriſ-jurandi obliviſcerêre? At Pontifex ejus gratiam fecerat. Deuſ'ne ergo is eſt, qui ſibi obſtrictos homini delegert? Id in ea certè ſpecie nunquam hominibus cordatis probari poterit. Neque verò ille coram ſummo illo tribunali ea de re pro te redditurus eſt rationem. In te deſcende ò Rex, & ſiquam de eo mentis tuæ aſtipulationem ſentis, viceris. Deus creator eſt,homo creatura: prorſus indubitatum ſit, neceſſe eſt, quo creatura creatoris quicquam ſibi arrogat. Atq; iterum ò Rex,optamus,ut aliquãtò antè,quàm pater hujus adoleſcentis in Germaniam concederet,in hiſce provincijs fuiſſes. Senſiſſes profectò in illũ odij cauſſam non fuiſſe aliam, quàm

quàm quòd florentissimas hasce provincias in eodem tibi statu conservare,& à nomine tuo omnem justæ ignominiæ notam avertere vellet. Atque utinam ille tum in tam præclaro suo instituto, sociorum suorum fidem non expertus esset (ut nequid gravius dicam) tam in constantem. Certè ò Rex, hæ provinciæ integræ adhuc essent, & nomen tuum incontaminatum. Nunc verò quid illis est consciffius? quid miserius? Et quidem quid earum adhuc reliquum esset, nisi ille idem illis tandem adhuc admovisset manum? Quid nomini tuo futurum sit, ignorare non potes. Cùm omnis posteritas memor futura sit, te Principe, tam præclaras hasce provincias, de te majoribusq;. tuis tam bene meritas, tam fœdè, barbarè, atque crudeliter esse habitas: tam etiam depopulatas atq; vastatas, ut nullus immanissimus hostis potuerit magis. Et hæc facta esse contra promissa tua tam insignia, contra jus-jurandum tuum tam solenniter pręstitum, quam, quæsumus, in perpetuum tibi famam pariet? Si Pontifex eorum omnium tibi gratiam fecit, pro te, ut suprà coram Deo, sic tum quoque coram hominibus respondeat. At immorigeri subditi coërcendi & constringendi erant. In quo verò immori-

morigeri fuêre? An non diversis bellis ita tibi suppetias tulere, ut plerunque victor evaderes? An non in inveniendis ad tanta Bella sumptibus, omnibus regnis alijsq; provincijs tuis se promptiores exhibuere? Quid cùm apud illos præsens esses, an non omnia devotissimorum subditorum officia, & debitam omnino reverentiam percepisti? At primùm Hispanos meos, deinde Episcopatus, ac tandem Inquisitionem etiam recusarunt. Ipsi fines suos custodire atq; tueri consueverant: & quid Hispani præsidiorum prætextu jam tum quærerent, non erat difficile olfactu. Episcopatus autem & Inquisitio istiusmodi erant, ut citra provinciarum perniciem recipere non possent. Et ut tu nolentes ad noxia cogeres: imò, ut novæ quippiam rei invitis obtruderes, certè citra jurisjurandi violationem non poteras. Percurramus Inaugurationis capita, percurramus alia tua jurata promissa, liquidè inveniemus, nihil prorsus novæ rei licere tibi illis non consentientibus præscribere. Nullam'ne igitur licuit vel in religione normam constituere? Vtique licuit, sed cum eorum consensu. Longè hæc alia cantilena est, quàm ea, cui hactenus aures assuevere. Præterquam quòd Pontifex promissorum gratiam

faceret, me Principis jure ut legibus, sic etiam subditorum stipulationibus solutum esse: itaque omnia pro arbitrio facere posse. Frustraneæ'ne igitur tam solennes Inaugurationis sunt cæremoniæ? Et in jurejurando nominis Dei invocatio mox'ne in fumos abit? Et apud Hispanos tuos ò Rex, an memorabiles illas cæremonias, quibus à Tarraconensibus in Regem receptus es, inanes sentis? Profectò non credimus, tametsi avorum memoria illorum libertatem non mediocriter labefactatam scimus. Romani quidem Imperatores eam sibi authoritatem asscribebant, ut se legibus solutos dicerent: sed id jure quodam facere posse videbantur, quòd sine ullis ferè conditionibus crearentur, & oppressis ubique rebuspublicis, liberè imperarent, unde etiam Monarchę sunt dicti, & rectè. Quo Imperio tandem everso, populi ubique pristinam libertatem recuperarunt, & non nisi sub commodis conditionibus Reges Principesve constituêre. Qui mos ubiq; adhuc integer est, nisi ubi tyranni structis passim nidis rerum potiuntur. Et illustre ejus rei in Imperij reliquijs argumentum habemus, ubi qui rebus præficitur, & in multas conditiones jurat, & mox septem Principes tanquã

in Imperij conſortes accipit. Vnde etiam illi Monarchæ nomen non competit: & ſi non illi, certè nulli in Europa Regi, quatenus quidem Chriſtianum nomen pertingit. Quæ quanquam Conſiliarij illi tui ò Rex, æque atq; quiſquam mortalium ſcierint, ad gratiam tamen aliter loqui viſum fuit, tuóne an ſuo ipſorum bono, toti jam manifeſtum eſt orbi.

De moneta cudenda.

CAPVT. XVIII.

NVLLVM nummum cudemus in provincia noſtra Brabantia, niſi de conſilio, voluntate, & conſenſu totius provinciæ. Neque is nummus ullo modo minui poterit. Quod tamen ſi fiat, vindicare id poterimus in monetarium ipſiuſq; bona, citra conniventiam & dilationem. Cudetur autem is nummus in aliqua noſtrarum liberarum civitatum: & æſtimabitur ſecundum ea, quæ in quondam edita Gallica Conſtitutione traduntur.

Monetam cudere etiam ſignum ſupremæ poteſtatis eſt, ſed Princeps promittit ſe id non facturum, niſi de conſenſu populi.

COMMENT.

LAVDABILIS hæc majorum nostrorum circa monetam solicitudo, aliquantò adhuc in Mariana Inauguratione evidentior est. Nec parvam certè laudem Ordines merentur, qui illorum vestigijs insistentes, dum veterem in moneta probitatem atque fidem urgent, vicinorum nonnullorum artes atq; imposturas cessare cogunt: quorum profectò nonnulli ad piacularia sunt progressi. Cujusmodi certè est, aliorum Principum monetam ita exprimere atque assimulare, ut adulterinum à vero vix ab ipsis monetarijs dignoscatur. Cujus notæ censeri etiam debet, cudendi jus ad aliquot millia avaris mercatoribus locare. Cujusmodi fraudem atque turpitudinem nunc impedire atq; intervertere, quantò tempora tumultuosiora licentiaque corruptiora sunt, tantò profectò plus laudis habet. Cæterùm quia hoc capite æstimandæ monetæ ratio rejicitur ad præscripta Constitutionis, Gallicæ vulgò dictæ, de qua nonnihil ad caput decimum tertium attigimus: & hoc caput inde originem habet, translatum illius Constitutionis caput secundum, in quo de moneta

neta agitur, huc perscribemus. *Nulli in Brabantia nummi cudentur, nisi in liberis civitatibus, & de consilio nostrarum civitatum & provinciæ. Atq; hi nummi æstimabuntur, laudabiliq; in conditione sustinebuntur de consilio earundem civitatum & provinciæ.*

Nothos nullo publico munere in Brabantia fungi.

CAPVT. XIX.

QVI ex legitimo toro prognatus non est nostro nomine in Brabantia neq; Consiliarius, neque Præfectus provinciæ aut cujusquam civitatum fieri, neq; ullo officio publico fungi poterit.

COMMENTAR.

NOTHVM Græci vocant, qui non sit legitimus. Latini verò teste Catone eo utuntur, defectu suæ linguæ vocis eam rem ita generaliter significantis. Nothorum autem multa sunt genera, qui universè hîc à publicis muneribus exclu-

excluduntur. Apud Mosen [a] etiam excluduntur ab Ecclesia Domini in decimam generationem. Quod ita secuti sunt Christiani, ut tales ab omni Ecclesiastica functione excludi voluerint. In Romano autem Imperio ad dignitates sunt admissi, cum hoc etiam Papiniani elogio: Non enim (inquientis [b]) impedienda est dignitas ejus, qui nihil admisit. In quam benignitatem nonnullæ nationes inclinantes, aliter etiam de ijs statuunt: ut tamen omnes eodem loco habere non putem. Habet etiam Mariana Inauguratio ab hoc de nothis præscripto nõnullas exceptiones: sed hoc laudabile est, in ea etiam ab omni dignitate excludi adulteros, ita leniter tamen, ut adulterium manifestum esse, & in eo contumacia requiratur. Adeò in eo genere vetus omnium ætatum disciplina postremis hisce seculis enervata est, idq; meritò impurissimo Ecclesiasticorum cœlibatui acceptum ferimus.

a Deuter. 23.

b L. 6. De Decur. & fil. eor. D.

De insontibus pugnæ.

CAPVT. XX.

SI in dicta nostra provincia rixam aut pugnam fieri contingat, à tempore rixæ aut pugnæ vigintiquatuor horis

firma

firma certaque pace potientur insontes: & qui interea adversus eos aliquid fecerit, pacis violator censebitur.

COMMENT.

VETUS, in hisce provincijs observatio est, ut si pugna alicubi oboriatur, quivis astantium pacem jubere possit: & qui non obtemperat, quoties jussus fuerit, toties ut in certam multam incidat, tanquam pacis violator. Sic hoc capite tanquam pacis violator multandus venit, qui ei, qui pugnæ interfuit, ejus tamen insons est, intra vigintiquatuor horas à pugna vim intentat. Quod ego ita constitutum autumo, ut interea ira amicorum vulnerati aut occisi deferveat. De pugnæ sontibus, nempe si plures aut vulnerarint aut occiderint, perspicuè in juris libris tractatur [a].

[a] L. ult. Ad. l. Corn. de sic. l. Item Mela, §. Si plures, Ad. l. Aquil. D.

De homicidis.

CAPUT. XXI.

NEMINEM homicidam in provinciam recipiemus, priusquam occisi cognatos reconciliarit,

COMMENT.

VIDE, ut Princeps privatis etiam hominibus obstringatur: multas tamẽ hoc caput exceptiones habet.

Præfectos ipsos officia sua administrare debere: &, De cautione ab ijs præstanda.

CAPVT. XXII.

QVIBVS deinceps in Brabantia civitatum pagorumq; præfecturas dabimus, quos've civitatibus pagis've præficiemus, atq; etiam qui in præsenti civitatum pagorum've præfecturas habent, eos ipsos præfecturas illas administrare compellemus: neq; verò illas in alterum conferre, neq; vendere, neque locare poterunt. Illi etiam civitatum pagorum've Præfecti, qui carceris jus habent, alijque per agros officiales, qui ut jus dicatur, curandi authoritatem habent, priusquã officia suscipere poterunt, ad usum cujusq;, cujus intererit, in judicio, cui deservient, idoneos fidejussores dabunt.

COM-

COMMENT.

AVREA Iustiniani octava Novella multas præclaras rationes habet, quamobrem officia muneribus comparari non debeant. Quocirca ille etiam ibidem & alibi graviter interdixit, ne id fiat: & jus-jurandum in officiorum susceptione, munera nulla data esse aut promissa, præstari voluit. Quod idem etiam suprà capite undecimo luculenter statuitur. Iam verò, quæ rationes sunt, quare officia muneribus queri non debeant, eadem etiam ad hoc valent, ut ab eo, qui officium consecutus est, id neq; conferri in alium, neque vendi, neq; locari possit: quod præclarè hoc capite statuitur. Iustinianus eadem Novella[a] & passim alibi vetuit, nequis magistratus, sive civilis sive militaris, vicarium haberet: quod idem etiam de Defensoribus civitatum[b] statuit: quo profectò officij venditio & locatio satis prohibetur. Quod porrò de cautione præstanda hoc capite habetur, majorum nostrorum insignis solicitudinis indicium est, quo omnino indemnitati consulatur. Accuratè quidem in juris libris de asservandis custodijs[c] tractatur, sed ita illic ijs, quorũ

a §. Cæterum nul.

b Novel. 15. §. Ius-jurandum.

c De custod. reor. D. C.

custodias elabi interſit, caveri non puto.

Officia neq́ locari, neq́ pignoris jure mancipari.

CAPVT. XXIII.

OFFICIA provinciȩ noſtræ Brabantiæ juridicialia, neque locabuntur, neq; pignoris jure mancipabuntur: ſed ut jam inde antiquitus conſuevit, adminiſtrabuntur. Et ſiqua elocentur, locatio nullius momenti erit, neque ſubſiſtet.

COMMENT.

OFFICIORVM nundinatione nihil profectò poteſt eſſe turpius. Non tamē ejus puduit aliquos Principes. Sed quid illi ad ſubditorum à Præfectis ſuis miſerè expilatorum querelas aliud, quàm ſtatuarum inſtar ſurdis aſtare auribus?

Brabantis alijs alios extra Brabantiam neq́ in jus vocare, neq́ ad pugnæ certamen provocare, licere.

CA-

CAPVT. XXIIII.

NON patiemur, ut quisquam dictarum nostrarum provinciarum popularem suũ extra eas provincias, qualemcunq; tandem caussam prætexat, detinendum alioquíve impediendum curet: aut etiam in jus vocet, nisi illum fugere revera constet. Similiter etiam, quicunque earundem provinciarum incola popularem suum extra easdem provincias ad duellum provocabit, provocandum've curabit, centum obrysi auri libris, alioquíve arbitrio Consilij Brabantici multabitur.

COMMENT.

CAROLVS ejus nominis quartus Imperator anno supra millesimũ trecentesimum duodequinquagesimo edidit Constitutionem, quæ Aureæ bullæ nomen obtinuit, qua edixit, nequis Imperij subditus Brabantũ extra Brabantiam, quæcunq; tandem caussa esset, aut per iudicem detineret, aut in jus vocaret. Quam Constitutionem Carolus Quintus non sine illustratione anno trigesimo renovavit. Quod igitur peregrino non liceat, civi certè aut populari licere non debet. Id igitur certioris cognitionis caussa hoc capite

statuitur

ſtatuitur. Quod verò etiam de provocatione ad pugnæ certamen habetur, idem etiam intra Brabantiam hauddubiè eſt illicitum. Nam cruenta ſpectacula rectè ſublata voluit [a] Conſtantinus. Quo everſum eſt illud Vlpiani, Si quidem (inquientis [b]) in publico certamine alius alium occiderit, ceſſat Aquilia. Et quanquam hîc ad aliud certaminis genus reſpiciatur, ad illud nempe, cujus ſubinde in [c] Conſtitutione Friderici Imperatoris, De pace tenenda & ejus violatoribus, mentio fit, quod ibidem duellum dicitur, & ad quod ſinguli ſingulos ob gravem aliquam cauſſam, quæ cùm non commodè judicio, ſanguine decidatur, provocant: tamen illud ipſum æquè nunc illicitum viſum iri exiſtimem, cùm tam immanem conſuetudinem jampridem obſolevisse videam. Quæ autem hoc capite ducentarum marcarum obryſi auri multa ponitur, profectò gravis eſt: cùm marcam noſtro idiomate ſelibram ſignificare didicerim, quamobrem etiam centum libris verti. Et cùm auri libra aliquanto pluris, quam centum & decem aureis Coronatis æſtimetur, exurgat hæc multa in undecim millia Coronatorum: quantæ ſummæ pauci ſanè ſolvendo ſint, quamobrem etiam de arbitrio Conſilij

Bra-

a L. unica, De gladiator. C.
b L. 7. §. Si quis in colluctatione, Ad L. Aquil. D.
c Quæ eſt 27. tit. lib. 2. Feud.

Brabantini adjectum est: ut etiam in simili caussa capite trigesimo & secundo.

Brabanto Brabantis bellum facere, hostibusve Brabantiæ suppetias ferre, capitale esse.

CAPVT. XXV.

SI QVIS nostrorum subditorum aut nobis aut provincijs nostris Brabantię Transmosanæ've, aut incolis earum bellum denuntiet, spoliet, bonáve occupet: aut deinceps respectu Brabantiæ, Limburgicæ, Transmosanæ've, nostris earundemque provinciarum hostibus sciens auxilio sit, eos've recipiat, in capitis bonorumque discrimen veniet: neq; eum, nisi de consensu trium Ordinum, in Brabantiam recipere poterimus: atq; alioquin omnis nostra in eum gratia futura est irrita.

COMMENTAR.

NVLLA unquam respublica fuit, quæ non similiter de civibus suis hostibus judicarit. Sed illud notandum

tandum est, Principem subditum hostilia conatum, sine consensu Ordinum in gratiam recipere non posse. Et cùm istiusmodi permulta sint, quę Princeps citra consensum Ordinum facere non possit: certè magna illa, ut sanguinaria edicta condere, ut ubique qui illa rigidissimè exequerentur constituere, ut novos Episcopatus obtrudere, ut Inquisitionem introducere, citra eorundem consensum profectò non potuit.

De raptu fœminarum & puerorum.

CAPVT. XXVI.

SI QVA mulier aut virgo cùm ad stuprum abriperetur, flevisset, aut id contra ipsius voluntatem esse, plenè constaret: si ea raptori adhæreat, aut cum eo vivat, nos ipsius mobilia & immobilia obtinebimus, donce vivet: & post mortem ejus ad eos, ad quos jure pertinebunt, immobilia devolventur. Si verò raptori non adhæreat, nulla nos ipsius bona occupabimus. Raptor autem, quiq; illi in facinore auxilio fuere: & similiter, qui illum in Brabantiâ rece-

perit, quâ've re juverit, quatenus amittere poſſunt, in perpetuum vitam bonaq; amittent. Siquis verò minorem legitima ætate puerum puellam've rapuerit ad ſtuprū, aut abduxerit, ille, quiq; illi auxilio fuere, citra ſpem veniæ vitam & bona amittent: nequæ quenquam in eo ſodalitium D. Petri, privilegia municipalia, literæ Scabinales, aut quicquam aliud tueri poterit, quò minus ex provinciæ legibus cum eo agatur.

COMMENT.

CVM hîc tam diſertè dicatur, ſi mulier in raptu fleviſſet, aut eam invitam raptam eſſe, liquidò conſtaret, nihiloq; minus raptori adhereat, à fiſco tūc ejus bona eſſe occupanda: à contrario inferri poſſe videtur, ſi non fleverit, volenſque rapta ſit, tametſi raptori adhæreat, ejus bona occupari nō debere. Quaſi volentem rapere, crimen non ſit, contrà atq; Iuſtiniano[a] placuit. Sed quid mirum, cùm poſterioris ætatis licentia etiam matrimonium inter raptorem & raptam permiſerit, ſive volens ſive invita rapta ſit? Quæ eadem licentia & quicquid hîc acerbius eſt, & veterem ea de re omnem diſciplinam, ſi non omnino evertit, multùm

a L.un. Pœnas autem. De raptu virg. C.

multùm certè labefactavit. Atque hoc quidem etiam impurissimo Ecclesiasticorum cœlibatui acceptum est ferendum. Cùm enim illi libidinem promiscuè exercerent, idq; impunè: qui fieri potuit, ut non ea cupido etiam alijs longè lateq; incesseret: atq; impudicitiæ contagio, velut aquæ ruptis aggeribus, pudicitiæ leges tandem obrueret? De sodalitio D. Petri, cujus hîc fit mentio, quinto abhinc capite videbitur.

Siquis homicidij accusatus judicio se offerat.

CAPUT. XXVII.

SI QUIS de vulnere aut homicidio accusabitur, id antequam convictus sit, illi fraudi periculóve non erit, si offerre se judicio & purgare velit. Officialis tamen loci apprehendere illum & in carcerem mittere, ejusque etiam bona annotare poterit, simulque judicium urgere, donec aut condemnetur aut absolvatur.

COM-

COMMENT.

CONTRA absentes in criminibus ex præscripto juris hæc observantur[a]. Ipsi primùm in reos referuntur, sive annotantur, deinde edictis publicè propositis ad se purgandos evocantur, intereaque aut etiam intra annum eorundem bona obsignantur. Qui si intra annum se purgatum veniant, purgati obsignata bona recuperant: & si priusquam se purgent, decedant, ad hæredes eadem transmittunt. Post annum quandocunq; quidem se purgare possunt, sed bona non recuperant: atque si in purgatione deficiant, deq; crimine convincantur, graviùs etiam puniuntur. Ex quibus facilè liquet, quantò melior sit conditio ejus, qui se offert, quàm qui in latitando contumax est. In caussa religionis verò superioribus annis diversum fuit. Nam ita captiosa ea judicia erant, ut nemo quantumvis simplex aut innocens, aut etiam quantumvis vafer & cautus, ea illæsus evadere posset. Hoc verò fortasse non rectè omittatur, posteriorem hujus capitis clausulam, neq; Marianam, neq; pòst secutam Carolinam Inaugurationem habere, ut cogitari

[a] Vt videre est in titt. De requirendis reis. D. C.

possit, illis temporibus aliquantò plus commodi mox se judicio offerenti fuisse. Solet [b] enim ex rei qualitate dispici, an mox in carcerem deberet conjici, an verò etiam fidejussoribus, aut sibi etiam committi: neq; etiam credibile est, mox post accusationem indiscriminatim solere in reorum bona involari.

b L. 1. De custod. & exhib. reor. D.

De domesticis infortunijs.

CAPVT. XXVIII.

SVBDITI nostri Brabantini Transmosaniq; in omnibus evidentibus infortunijs, quæ quocunque modo, sine culpa tamen, aut ipsis, aut liberis ipsorum, aut mercenarijs, aut cuiquam è familia contingere poterunt, & mortis caussam dabunt, à quacunque pœna & publicatione bonorum exortes & liberi erunt. De quibus tamen infortunijs Iudices loci per Officialem requisiti, diligenter cognoscent, judicabuntque, pro infortunióne, quod contigit, haberi debeat, an non: quodque ita judicabunt, ratum erit. Et siqua culpa deprehendetur, pro modo culpæ Iudices obnoxiũ extra ordinem punire poterunt.

COM-

COMMENT.

SI (ut rectè Vlpianus[a]) fortuitos caſus nullum humanum conſilium providere poteſt: &,ſi quæ citra dolum atq; culpam admittuntur, jure non vindicantur: de quibus, ut etiam de fortuitis caſibus, ſub titulis juris, De lege Aquilia, permulta exempla ſunt: meritò quiſque de iſtiuſmodi domi ſuæ contingentibus excuſari debet, eoque etiam magis, quod quæ in familijs fortuitò accidunt, contra diligentem patris matriſque familias ſolicitudinem & curam accidant: & in domeſticos non temerè doli ſuſpicio cadat. Vt tamen (quod hîc ſtatuitur) in iſtiuſmodi infortunia inquiratur juſtiſſimam profectò cauſſam habet.

a L. 1. §. Si ex temp. De administ. rer. ad civit. D.

De ijs quæ bello comparabuntur.

CAPVT. XXIX.

QVASCVNQVE civitates, municipia, dominia, aut arces cuicunque communi bello, ſive communi exercitu

Quid hîc Princeps aliud eſt, quàm reipublicæ procuratore

exercitu è provincia nostra Brabantia ademerimus, eæ Brabantiæ annectentur, itaque ad eam pertinebunt, ut restitui nequeant: eædemque ijsdem, quibus Brabantia, obnoxiæ erunt, neque separari poterũt, quemadmodum ipsa Brabantia inseparabilis est.

COMMENTAR.

OMNIUM rerumpublicarum uni Israëlitæ sub Mose primæ sunt partes tribuendæ. Neque mirum, cùm tum ejus populi Ducem atque Regem manifestè se ostenderit Deus. Mixtim constabat illa ex tribus rerumpublicarum generibus: quæ temperatura à sapientissimis hominibus maximè semper comprobata fuit. Moses quasi Regiam authoritatem tenuit: penes septuaginta Seniores, Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones, Aristocratica potestas fuit: Democratica verò apud reliquum populum resedit. In quam postremam tamen siqui Chiliarchos, & qui post eos recensentur, tanquam qui omnia cum populo communicarent, ejusque quasi Tribuni essent, retrahere velint, per me quidem licebit, ut cui hîc eum ordinem nudè proposuisse sufficiat;

ciat. Atque cùm hanc ita temperatam rempublicam Moses non nisi Dei auspicijs regeret, ipseque Deus sæpe se evidentibus signis moderatorem exhiberet, ac tam præclaræ leges populum in officio continerent: quæ unquam respublica fuit, quæ cum illa conferri possit? Quam si is populus cum debita obedientia Dei arctiùs conservare studuisset, profectò nunquam in Regiam dominationem, ipsum non longè pòst perditurum, proruisset. Atque Dei quidem tam manifesta præsentia, Mosis, Iosuæ, nonnullorumq; aliorum præstantia, & legum tam sanctarum repagulum, præcipuæ ejus reipublicę eminentiæ caussæ fuere. Nam quod ad mixturam trium illorum generum attinet, eam à plerisq; ferè à condito orbe populis observatam fuisse, hinc astrui posse putem. Quòd promiscuæ plebis gubernatio propter diversitatem opinionum & inconstantiam subsistere non possit: quòd optimatum sola gubernatio mox nimia invidia laboret, & inter ipsos in factiones conscindatur: quòd Regia potestas, si fræna nulla quibus coërceatur habeat, continuò in belluinam intemperiem prorumpat: quòd plebis optimatiumque gubernatio difficilibus temporibus uno opus habeat, qui diffi-

cultates expediat: quòd denique in optimatium & Regia dominatione, supra invidiæ & factionum incommoda, optimates aut Regijs libidinibus non admodum adversentur, aut ad eas coërcendas non sint pares. Plebis autem gubernatio, Regiaq; potestas, aquæ ignisq; instar sunt, neq; sine optimatium authoritate conjunguntur. Laudantur verò Amphictyones, laudantur Lacedæmonij, laudantur Tabrobanij, qui vetustis illis seculis triplici eo gubernationis genere usi fuere. Et quidem cùm tandem Romæ Consulibus Tribuni, ut Lacedæmone Regibus Ephori, oppositi essent, non video, quid tum in Romana republica, quantum ad triplex illud gubernationis genus attinet, defuerit. Plebis authoritas in Tribunitia potestate consistebat: Aristocratica dignitas penes Patres Conscriptos erat: Regiam Majestatem Consules obtinebant. Hoc tamen ad perfectionem adhuc defuit, quod mox in plebis optimatiumq; gubernatione deesse diximus, ut quanquam duo tantùm Regium locum obtinerent, orta graviori aliqua caussa unus aliquis quæri deberet, qui donec difficultates expedirentur, summa potestate præesset. In quo genere profectò omnibus numeris absoluta est præsen-

tis Imperij ratio : ut ubi in Imperatore Monarchicam Majeſtatem, in Electoribus reliquiſq; Principibus Ariſtocraticam magnificentiam, in civitatum Legatis Democraticam dignitatem conſpicimus. Sed ut ad nos ipſos veniamus, Galli omnes ante Romanam tyrannidem triplici eo gubernationis genere uſi memorantur : & recuperata tandem libertate idem gubernationis genus inſtauraſſe oſtenduntur Atq; hoc imprimis laudabile, quod quotannis ſemel Ordines univerſos coire voluere, qui de precipuis reipublicæ rebus cognoſcerent: & ſiquid in administrationis illo genere hiulcum eſſet, ſartum tectum redderent. Quem ſacroſanctum morem qui tandem everterunt, ſimul triplex illud gubernandi genus labefactarunt, & ſenſim ſtabilita tyrannide Celtas Aquitanicoſq; in extremas haſce calamitates, atq; adeò exitium conjecerunt. Nos Belgæ ſub poſtremis Legatis Regijs iiſdem reipublicę firmamẽtis ſpoliati fuimus, & in æquè exitiales calamitates conjecti. Cùm verò mirabiliter à Deo Opt. Max. libertati, priſtinæque libertati reſtituti ſimus, meliùs deinceps nobis caveamus, neq; ingratitudine Deum ad graviora infligenda provocemus. Sed ad propoſitum. Cùm in triplici illo

F 4 guber-

gubernationis genere supremus (quocunq; tandem nomine censeatur, sive Imperatoris, sive Regis, sive Ducis, sive Comitis, sive Marchionis) nihil sine reliquorum veluti membrorum consensu possit, & omnia cum illis communia habeat: quemadmodũ gubernationis incommoda subditi æquè atq; etiam magis, quàm Princeps sentiunt, ita quoq; commoda in subditos æquè, atq; in Principem, redundare, æquum est. Brabantia autem ut Gallica provincia, triplex illud gubernandi genus & semper cum alijs sive Galliarum sive Belgicę provincijs commune habuit, & (quomodo videmus) sub peculiaribus suis Principibus insigniùs etiã, quàm reliquæ provinciæ, illud expressit, atq; disertis consentaneis conditionibus communivit. Quod cùm ita sit, ut quæ jam de commodis & incommodis diximus, in eadem etiam locum habeant, profectò par est. Sed de eo aliquantò loquamur pressiùs. Cùm in istiusmodi republica Princeps, non dicam quod caput in corpore, aut pater in familia, sed eorum, quæ communiter decreta sunt, cum summa potestate procurator & executor sit, ut quæ efficiat, quæque comparet, reipublicæ cedant, ratio postulat. Atque adeò id quidem, ut tametsi de eo nihil cau-

tum

tum sit, nihilominus id ita fieri conveniat. Inde quicquid Lacedæmoniorum Reges occupavere, Lacedęmonijs cessit: inde quicquid Romani sive Consules sive Dictatores armis subegere, Romanæ reipublicæ accessit, & pecuniæ aliæq; res preciosæ ab hostibus captæ, in publicum ærarium sunt relatæ. Quia verò cum Principibus nimis cautè agi nequit, prudenter Brabantiæ Ordines & in hoc fecere, ut quod jure deberetur, ex pacto etiam peti posset. Ac verò de eo omnino inter Ordines & Iohannem ejus nominis primum Brabantiæ Ducem convenisse puto, cùm ille Ducatum Limburgensem ab Henrico ejus Duce emptum, & post obitum Henrici à Childerico Comite occupatum, armis vindicare necesse haberet. Quin de eo etiam non absurdæ conjecturę sunt, inter Brabantiæ Duces & Ordines ea tum consilia fuisse, ut quemadmodum Lotharingiæ titulum usurparent, Brabantiaq; Lotharingiæ pars esset, universam sensim in unum Principatum recolligere niterentur. Quò etiam hoc allectamento usi videntur, ut qui aut subigerentur, aut alia quacunq; ratione accederent, ejusdem cum Brabantis juris essent. Ac primùm quidem post Limburgum ea diversis temporibus occuparunt,

quæ ad caput duodecimum Transmosanæ nomine censeri diximus : deinde Lucemburgensem Ducatum primùm matrimonio tentatum, postmodum armis subegerunt: ac postremò ea veteris Lotharingiæ parte, quæ Lotharingiæ nomen retinuit, Carolus Audax bello est potitus. Sed quicquid ejus sit, in Mariana Inauguratione etiam legimus, hoc pacto eundem Carolum Ducatum Gelriæ Zutphaniæque Comitatum ab Arnoldo Duce comparasse, ut eæ provinciæ Brabantię annecterentur: & Mariam ejus filiam easdem in perpetuum Brabantię annexas fore, seque earum titulis & insignibus usuram (de quo ad caput quartum nonnihil etiam dictum est) juratò promisisse. Atque de his quidem hoc loco, deque hujus capitis æquitate satis.

De dimensione fundorum, & constituendis terminis.

CAPUT. XXX.

SI QUIS in Brabantia Transmosanáve finium dimensionem, terminíve constitutionem petet, eam & contra nos, & con-

& contra quemcunque alium fieri jubebimus.

COMMENT.

REGVNDORVM finium ratio & modus ex juris[a] libris est petendus. Hoc hîc non tam peculiare, quàm providè est cautum, tam adversus Principem, quàm quemvis alium, finium regundorum agi posse.

a Fin. regund. D.C.

De ijs, qui in sodalitio D. Petri sunt.

CAPVT. XXXI.

ITA habebuntur, qui in sodalitio D. Petri sunt, itaq; cum ijs agetur, uti de jure eos haberi, atq; cum ijs agi, par erit.

COMMENT.

LOVANIVM Comitatus dignitatem aliquandiu usque ad Godefridum Barbatum, cujus ad caput quartum mentionem fecimus, habuit. Cùm autem (ut conjicere est) à sodalitio quodam ejus

urbis

urbis pro more illorum temporum ab urbis tutelari Divo, qui Petrus Apostolus est, nomenclaturam habente, magna beneficia senti[illegible]nt Comites, gratitudinis ergô præclaris illud privilegijs remunerati sunt. In quo etiam eò progressum invenio, ut in illud sodalitium reciperentur etiam, qui alibi cives essent & habitarent: quò scilicet Principes plures sibi devinctos haberent. Et Principatu illo mutato, aut potiùs sublato, in multis tamen familijs eadem privilegia etiamnum residere intelligo.

De actionibus in alios non transferendis.

CAPVT. XXXII.

SI duo laici in judicio inter se contendant de prædijs in Brabantia sitis, & re ad sententiam deducta, alter litem perdat, res've contentiosa ei abjudicetur: ac tum eam rem transferat in sacerdotem, clericum, alium've spiritualem virum, aut etiam in quenquam alium, quò is, secundum quem judicatum est, peregrè extra Brabantiam molestijs afficiatur atque divexetur: aut si-

quis

quis etiam Brabantiæ incola actionem habens, eam in alium transferat, ut adversario suo extra Brabantiam molestias atque divexationem pariat: qui quid eorum fecerit, centum libris auri, alioquíve arbitrio Consilij Brabantici multabitur.

COMMENT.

CAPITE vigesimo quarto statuitur, nequis Brabantus Brabantum extra Brabantiam in jus vocet, alijsve judiciarijs molestijs afficiat: hîc verò nequis Brabantus actionem suam in alium transferat, qui Brabantum extra Brabantiam judiciarijs molestijs vexet. Et cùm hîc in eos qui contrà faciant, centum librarum auri multa statuatur, quanta & illo capite continetur, orationis autem modo clausulæ, de non ad pugnam provocando, tantummodo applicari debere videtur: hinc intelligitur, illic eandem etiam multam extra Brabantiam in jus vocanti esse constitutam. Immensò mitior in eo est juris civilis dispositio, [a] sed cogitandum est, hîc duplex esse delictum, in alium nempe quasi potentiorem actionem tansferre, & ideo transferre, ut Brabantus extra Brabantiam in jus vocetur.

[a] De alien. jud. mut. cau. fac. D. Ne lic. pot. patr. litig. C.

Quen-

Quenq́ contra feras fundos suos custodire posse: & De venatione.

CAPVT. XXXIII.

VNICVIQVE fundos suos custodire, custodiendosq́ue curare, atque eò impunè canes alere non accisis licebit unguibus. Et siqua fera à canibus aut lædetur aut occidetur, ea, ut erit, suo in loco relinquetur: & si ab aliquorum canibus devoretur, id illis non est futurum fraudi. Poterit etiam impunè quisque per totam Brabantiam lepores atque vulpes venari, & similiter cuniculos extra libera vivaria: atque etiam ubicunq; aucupibus avibus ad volatile aucupium uti.

COMMENT.

SI (ut Florentinus ait [a]) quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimari debet: etiam quicquid custodiendarum rerum suarum caussa quis fecerit, jure fecisse dicendus erit. Et videmus

[a] L. 3. De just. & jur. D.

videmus in jure paſſim diligenti cuſtodiæ magnam laudem tribui. Tyrannis tamen pleriſque locis eò proceſſit, ut miſeros agricolas tueri ſata ſuà adverſus feras non permittat. Memini me legere in Germanico quodam libello, cui titulus eſt, Diabolus venatorius, Epiſcopum quendam ruſticum, qui ſatorum ſuorum cauſſa feram occidiſſe diceretur, ferinæ pelli inſutum canibus projeciſſe dilacerandum. Præclarus certè paſtor, ſed qui potiùs inter lupos numeretur. Et habet libellus ille multa alia exempla huic non diſſimilia. Hujus ergo violentiæ obviandæ cauſſà etiam in hoc ſibi reliquiſque ſubditis jus commune Ordines à Principe ſunt ſtipulati. Sunt etiam Cyclopes nonulli, qui ſubditos ſuos canes non niſi acciſis unguibus habere ferant: ſunt etiam qui feles niſi acciſis unguibus habere non permittant: ne videlicet ferarum latibula everrant. Sed cùm libera hîc venatio ſit, quemadmodum proximo capite videbimus, acciſio unguium faceſſat neceſſe eſt.

De venatione.

CAPVT. XXXIIII.

DEINCEPS quicunq; equeſtris ordinis, nobiles, alijq; etiam quicunq; Brabantiæ incolæ, impunè per omnem Brabantiam, prout tempus feret, venari poterunt quaſcunque magnas feras, præterquàm in vivarijs, nemoribus, ſylvis, dictis Zonien, Zaventerloo, Grootheyſt, Meerdale, Grotenhoute. Et nos quidem promiſimus & juravimus, promittimus & juramus, ut ſuprà, nos nunquam aut edicturos aut interdicturos, aut etiam tributum petituros aut conſtituturos, aut ullo modo fieri paſſuros, per quæ hæc aliquo modo labefactari aut impediri poſſent.

COMMENT.

SI feræ beſtiæ, volucres, piſces, omniaq; animalia, quæ terra, mari, cœlóve naſcuntur, ſimulatque à nobis capta ſunt, jure gentium noſtra eſſe incipiunt [a]: venatio certè jure gentium etiam libera eſt. Viſum tamen Ordinibus eſt, ut ob ſimilem Principum arrogantiam, cujus præcedenti capite

[a] Feræ igitur. De rer. divis. Inſtit.

capite meminimus, eam etiam à Principe ſtipularentur. Sed (ut certè Principis habenda ratio fuit) nonnulla hîc loca excepta ſunt, quæ illi ſoli in venationis uſum cederent: quæ Brabantico idiomate libera vivaria dicuntur, quaſi à promiſcuo uſu aſſerta.

Non licere nova vivaria facere.

CAPVT. XXXV.



DEINCEPS in provincia noſtra Brabantia nulla vivaria erunt, neq; conſtituentur, præter ea, quæ ab anno ſupra milleſimum trecenteſimum ſexageſimo ſeptimo libera vivaria fuere, quæque tandiu ab ijs, à quibus oportebat, feudali jure obtenta ſunt: ut tamen per horum etiam cauſſam ſubditi gravioribus damnis non afficiantur.

COMMENT.

ATQVE ea quidem Principi ea lege aſſignata ſunt, ut illis alia adjicere novaq; facere nequeat. Cui ſimile

 eſt,

est, quod octavo Additionis capite, alia præter hæc vivaria loca, ut vivaria locari non posse, cavetur. Illud verò præclarum est, quòd illa eadem ita haberi, itaq; obsepiri requiritur, ut vicini inde incommodis damnis've non afficiantur.

De debitis sylvatici juris.

CAPVT. XXXVI.

NVLLA debita nemorali sylvaticóve jure exigentur, prçterquàm quæ ex mercatu lignorum sylvarum've ex veteribus Principis nemoribus aut sylvis, aut ex alijs etiam, quæ jam inde antiquitus sylvatici juris fuere, emptorum, originem habent.

COMMENT.

MARIANA Inauguratio huic capiti magnam lucem adfert, quæ disertè statuit, neminem silvas suas sive arbores sylvatico juri non obnoxias, ita vendere posse, ut emptorem tardiùs solventem ad Quæstores Principis, sive alios, & nõ ad competentem magistratum in jus vocet: Quæstoresque istiusmodi caussas, ut etiam

alias

alias ad ipſos non pertinentes omnes, ad ſuam cognitionem recipere vetat. Et ſanè aliud eſt jus fiſci, aliud privati: aliud eſt coram fiſcalibus, aliud coram competente magiſtratu judicio diſceptare.

De Præfecto Brabantiæ Gallicanæ: &, De curia Genapienſi.

CAPVT. XXXVII.

IN regione Brabantiæ Gallicana erit honeſti nominis Præfectus, natione Brabantus, cujus ſcriba ipſiq; obnoxij officiarij: & ſimiliter Præfecti & Iudices aliarum ſex magnarum Brabantiæ Præfecturarū, natione quoque Brabanti erunt. Et curia Genapiana, uti jam olim conſuevit, adminiſtrabitur: ita, ut cui illic negotium ſit, cum eo non agatur extra normam juris.

COMMENT.

REGIONEM Brabantiæ Gallicanam vetuſto nomine Romanam dictam invenio. Fortè ob ſimilitudinem, quæ linga Gallica cum Romana

habet, ut quæ longè majore sui parte ex hac constet: sive etiam, quòd eo loco Romani sedem aliquam belli habuerunt, quam diu contra Francos, Gallias ab ipsorum tyrannide vindicantes, defenderint. Præcipuus ejus locus est Nivella civitas. Celebrem curiam habet in arce Genapiana, quæ curia Lotharingica dicitur, quod indicium est magnificæ vetustatis. Sed cùm in proprietatibus Brabantiæ cognoscendis non parum adjutus sim lucubrationibus Ludovici Guicciardini, ne ingratus videar, agnoscere id hîc tandem volui. Et est is vir non solùm de Brabantia, verumetiam de tota Belgica, quatenus quidem unum nunc Principatum sustinet, præclarissimè meritus. Ita enim illam descripsit, ita graphicè quasi depinxit, nihil ut desyderes. Quod ejus certè tam eximium studium tantò est laudabilius, quantò ille est alienigena remotior: cujus tamē patriam dicere, ululas Athenas sit ferre.

Qualescunq; Brabantiæ Officiales oportere esse Brabantos.

CAPVT. XXXVIII.

DEinceps quoq; nostrorum Vasallorum Officiales, Iudices, Quæstores oportebit natione esse Brabantos: neque poterunt officia sua administranda committere extraneis, cujuscunque etiam conditionis sint. Similiter etiam arcium provinciæ nostræ Brabantiæ Castellani, natione Brabanti erunt: nisi si suo nomine aut ratione matrimonij Baronica prædia in Brabantia possideant.

Hispani quod suæ nationis Principem habent, qui harum regionum etiam Princeps est, omnia officia sibi deberi putant.

COMMENT.

CVm toties repetitur, omnes Præfectos, magistratus, & quotquot functiones aliquas publicas habent, oportere esse Brabantos: facilè intelligere est, penitus majores nostros perspectum habuisse, quantum intersit, indigenisne, an verò exteris publica committantur. Malitiosi nonnulli Marchiavelli sectatores, ut in omnibus ferè reipublicæ administrandæ modis, sic & hîc perniciosa inculcant. Principi suæ nationis atq; linguæ hominibus, omnia etiam apud peregrinos alteriusque linguę populos esse mandanda: neque ut

Cap. 5. & 6. & 9. & 37.

quisquam ibi incola publica tractet, permittendum. In hac schola edocti Hispani, quòd suæ nationis Principem habent, cui multa extera regna, multiq; Principatus competũt: continuò non solùm sibi omnes in illis reipublicæ partes, asscribunt, verumetiam dominatũ deberi putant. Non aliter certè ubicunque pedem posuerint, se gerunt. Sed ô mortalium omnium longè vanissimi, cùm Belgæ suæ nationis Principem haberent, qui etiam vester Rex esset, num æquum vobis tum visum fuisset, si rempublicam vestram eo nomine Belgæ invasissent? Observantur adhuc ob oculos vestræ illæ quiritationes, turbæ, atq; tumultuationes, omnibus regnis vestris & auditæ & conspectæ, cùm Gulielmus Cheuricus adolescentiæ Caroli Quinti Gubernator, nonnulla de republica ad vos mandata pertulisset. Quid, an vòs Deo magis propitio creatos, quàm ullos alios mortales putatis? Imò ea vestra superbia cernitur, tanquam reliqui populi omnes Terræ, vos verò Cœli filij sitis. At ô boni, ex una omnes materia sumus, eandem omnes originem habemus, & quantum ad externa, eodem omnes convertimur. Et si reliqua expendantur, hominũ frequentia & multitudo, veteres prosapię, nobilitas, opulẽtia, rerũ

cogni-

cognitio, bellica virtus, & siqua sunt similia: est quòd in omnibus ijs vos multis inferiores confiteamini. Vt dici certè rectè possit, non aliunde vestram illam superbiam esse, quàm ex noxia illa istiusmodi Machiavellicorum persuasione. Quam profectò si minùs secuti essetis, integriore nomine Regem, immensóq; potentiorem, & hostibus longè magis formidabilem haberetis. Quod quisq; vestrum prædis rapinisq; ditatus est, divitiæ illæ diuturnæ non erunt: quòd malè parta malè dilabantur, & rapinæ ferè rapinis compensentur. Quantò satiùs fuisset vos cogitare, nos vobiscum sub uno Rege quasi unam rempublicam constituere, ideoq; non convenire, ut alteri in alteros administrationem affectent, ne quod id sine gravi odio & inimicitia fieri non possit, aliquod incommodum aut detrimentum in Regem redundet. Si quos adversus miseros Indos habuistis, instigati successibus estis: meminisse debebatis, nobis arma, munita loca, bellicosq; animos esse; quæ omnia prorsus illis defuere. Et vestræ illæ de Indis historiæ, quibus ipsi testamini, vos in Indijs supra ducenties centena millia hominum contrucidasse: & amplius terrarum spatium, quàm inter vos & Hierosolymam aut

Constantinopolim interjacet, penitus evastasse atq; desolasse: & præclara illa vestra Mediolani, Neapoli, in Bætica, alibiq; designata exempla, permultos nostrum ita cautionis præmonuerant, ut pedem in fines nostros illaturi non fueritis, nisi longè major nostri pars, alij vecordia, alij Regalis obedientiæ specie fascinati, vestras ab initio partes sustinuissent. Qui vestris moribns prudentiores sensim facti, ubi vela tandem vertere cœpere, quàm vos mox in arctum estis coacti? Neque tum vobis religionis prætextus multùm profuit: cùm vestra illa simiarum potiùs, quàm hominum sit: quamobrem etiam pueris nostris ludibrio fuit. Quòd propemodum nos perdideritis, quem inde vos fructum percepistis? An non vos econtrariò florem militiæ vestræ apud nos amisistis? an non vos, & præcipuè æraria vestra, hoc bello exhausti estis? Vultis audire, quid factum sit, sub Rege capite duo ejus præcipui populi, velut ejus membra sive brachia inter se conflixere: & cùm odia non cessent, periculum est, ne altero caput propediem sit privandum. Corpus verò uno brachio mutilatum, cùm & alterum graviter affectum sit, firmum profectò sanumque caput habere non potest. En egregium

gium fructum perversorum quorundam Machiavelli sectatorum disciplinæ. En ediverso insignem prudentiam majorum nostrorum, quam si nos paululùm & in hac re, & in nonnullis alijs, secuti essemus, in has miserias certè nunquam incidissemus.

De judicijs pagorum Santhoven & Uccle.

CAPVT. XXXIX.

IVDICIA pagorum Santhoven & Vcele reformata, in præsenti statu, atque, ut æquum est, conservabimus: & Scabini Vcclenses domicilium habebunt in civitate Bruxellensi.

COMMENT.

QVÆ his locis antiquitus fora judiciaria fuere, confirmantur.

Antverpiam à Brabantia separari non posse, neq; Nivellam.

CAPVT. XL.

IN perpetuum Antverpia, & quicquid ad eam pertinere oſtendi poterit, civitatibus communique provinciæ Brabantiæ conjuncta manebit, quo modo, antequam à Brabantia ſepararetur, illi conjuncta erat. Sic Nivella etiam, quemadmodum hactenus, Brabantiæ conjuncta manebit.

COMMENT.

LVDOVICVS Maleanus Flandriæ Comes, cùm Vencelaum Brabantiæ Ducem bello coarctaſſet, in conditionibus pacis Antverpiam ſibi dotis nomine aſſcribi voluit, quod Margaretam Iohannis Tertij Brabantiæ Ducis filiam in matrimonio haberet. Atque hæc illa civitatis illius à Brabantia ſeparatio eſt, cujus hic fit mentio. De Nivellæ alienatione fortaſſe aliquando actum fuit, ut eam Ordines impedire neceſſe habuerint.

De comitijs.

CAPVT. XLI.

QVÆ deinceps comitia indicemus, ad ea Ordines provinciæ nostræ Brabantiæ & Transmosanæ, quatuordecim diebus antè, quàm habebuntur, scripto evocabimus: nisi habendorum comitiorum caussa celerem expeditionem postulet. Ea etiam commodo, atque ejusmodi in Brabantia loco, habenda curabimus, quò tutò atque securè venire Ordines, undeque reverti possint. Poterit autem unusquisque Prælatorum, Baronum, Nobilium, civitatum, aut municipiorum provinciæ nostræ Brabantiæ aut Transmosanæ, aut simul cum alijs aut sigillatim, coram nobis alibíve ubi conveniet, mandata sua proloqui aut proponere: neque propterea in indignationem inimicitiam've aut nostram aut cujusquam alterius incurret: neque nos ideo ullo modo eundem aversabimur: & sicui uni aut pluribus eorum propterea mali quippiam obvenerit in eum, qui fecerit, ipsiusq; bona, citra dissimulationem vindicabimus.

Contrarium experta est omnis propè nobilitas Belgica, quæ anno 1566. libellum supplicem porrexit: & Marchio Bergensis, Baroque Montignius, qui legati in Hispanias missi, ut Regem de nonnullis, prout res erat, instruerent, ibidem miserè perierunt.

COM-

COMMENTARIVS.

CVM in istiusmodi republica, qualem ad caput undetrigesimum descripsi, Princeps sine consensu populi, sive eorum, quibus populus in eo partes suas demandat, nihil possit: quandocunq; gravioris rei aliquid emergit, illos Princeps convocare necesse habet. Ac verò quid Principi gratius esse possit, quàm cum ijs agere, qui in his, quæ proponentur, & fideles consiliarij futuri sunt, & si è republica esse judicabunt, non solùm in ea consentient, verumetiam quæ ad ea requirentur, procurabunt? In navi gubernator cùm aliquid à vectoribus requirit, illi re intellecta, mox morem gerunt, quia gubernatorem in commune consulere sciunt. Eodem modo in istiusmodi republica cùm Princeps, qui ut ille navis, sic ipse reipublicæ clavum tenet, aliquid à subditis postulat, illique id ad publicas necessitates postulari intelligunt, omnibus modis hoc agunt, ut Principis desyderio satisfaciant. Neque ut gubernator navis nihil requirit, quod in commune salutare non sit, Principem quicquam poscere, quod reipublicæ non expediat, convenit.

Atque

Atque ut de re meliùs constet, publicè adhibiti Principi sunt, qui simul cum eo consultent, simul necessaria apud populum exequenda curent. Neque indignari debet Princeps, si illi ab ipso aliquando dissentiant: cùm & gubernatores, si à vectoribus admoneantur, boni consulant. Quid enim? si navis pereat, gubernator cum vectoribus ejusdem conditionis sit: quod ita etiam in republica evenit, ut cùm ea in periculum veniat, simul Princeps, simul subditi periclitentur. Cùm rempublicam salvam esse, tam sua, quàm cujusquam subditorum interesse Princeps intelligit (& quidem id ita esse multis nominibus magis Principis interest) si admoneatur eorum, quæ ad ejus conservationem faciunt, ægrè profectò ferre non debet. Diocletianus religione impius & tyrannus, cætera non malus Princeps, dicere fertur solitus, Nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Atque hujus rei has ferè adduxisse caussas: quòd pro voto de Principe quisque loqueretur: quòd cubiculo clausus vera minimè nosceret: aures suis tantummodo præberet, eorumq; verbis & accenderetur & sedaretur: quòd denique ut sit bonus, cautus, imò optimus, venderetur ab aulicis ac deciperetur. Is verò novo prorsus

ſus exemplo ultrò depoſitis Imperij faſcibus, in vitam ſe privatam abdidit, quòd (ut credibile eſt) illorum ad bene imperandum impedimentorum tædio afficeretur: cùm veræ laudis apprimè cupidus eſſet, quam illa conſequi impedirent. Quòd ſi ille non in plenam abſolutamque imperandi poteſtatem (quam Romanum Imperium habuit) ſed in contractā certiſq; legibus circunſcriptam (qualem noſtri Principatus habent) incidiſſet: credibile eſt, illū nunquam inſignia depoſiturum fuiſſe. Placuiſſent hauddubie illi, qui ad gratiam non loquerentur Conſiliarij, & quos ad publicā tantummodo utilitatem, verámq; adeò laudem eniti comperiſſet. Gaviſus fuiſſet, quod non cum adulatoribus, & in ſua ipſorum ſolummodò commoda intentis (cujuſmodi Principum Conſiliarij ferè ſunt & aulici) ſed cum ijs, quorum æquè rem bene geri intereſſet, atq; ipſius, ideoq; non minùs, quàm ipſe, de republica ſoliciti eſſent: & quos quidem curarū atq; periculorum omnium, non etiam dignitatis conſortes haberet (quæ conditio eorum eſt, qui à populo Principibus adjunguntur) quòd (inquam) cum talibus ſibi de republica agendum eſſet, hauddubiè mirè gaviſus fuiſſet. Salutem enim populi, unicū boni

boni Principis scopum debere esse, proculdubiò ille vidit. En nunc prępostera hominũ judicia. Principes Christiani legibus circunscriptos Principatus habentes, per fas nefas, contempta jurisjurandi religione, imò, ut cœlum terræ miscendum sit, absolutam imperandi potestatem affectant: quã Christiani nominis acerrimus hostis, tanquam homine veræ gloriæ cupido indignam, ultrò repudiavit. Neq; verò hîc subsistitur, sed ut absoluta illa potestas quàm dissolutissimam licentiam habeat, urgetur. Veteres illi quidem Monarchæ Romani, postquam omnes respublicas oppressissent, istud sibi ascripsere, ut quicquid placuisset [a] Principi, legis haberet vigorem: verùm id ita molliunt, ut dicant, populum [b] lege Regia in ipsos contulisse omne suum imperium & potestatem. Quod quanquam Augustus honestatis magis, quàm necessitatis caussa fieri voluit (nemo enim illi totius propè orbis gubernacula tenenti, obloqui fuisset ausus) tamen improbissimi etiam Principes ea authoritate muniri sua placita non ægrè tulere. Nostri autem Monarchæ novi, populi imperio & potestate, suoq; etiam jurejurando contemptis, sceptris suis omne jus & potestatẽ competere volũt ipso jure, Asscripserũt [c] sibi illi etiam,

[a] De const. Princ. D.

[b] Ibidem.

[c] L. 31. De leg. Senat. cons. D.

etiam, se solutos esse legibus: sed quàm submissum, illud [d], *Decet tantam Majestatem servare leges, quibus ipse solutus esse videtur? quàm submissum etiam illud [e]? Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeò de authoritate juris nostra pendet authoritas.* Et revera majus Imperio est, submittere legibus Principatum. Nostri verò illi sibi vivere non videntur, nisi omnia pro arbitrio agant: nisi quæ leges displicent, quorumque promissorum & jurisjurandi pœnitet, ea omnia pedibus conculcent. Et Monarchæ illi quàm sanctas leges simul orbi terrarum condidere, simul ipsi observavere. Nostri contrà quàm legibus viveretur, terram incendio insceri mallent: idq; ipsis adhuc vivis, cùm monstrum illud hominis Nero, id post mortem demum fieri optarit. Istud verò exemplis comprobare, ipsi sedulò laborant, ne sit opus. Verùm cujus exempli fuit, cùm anno sexagesimo sexto quadringenti circiter summæ nobilitatis viri, inter quos Comites & Barones multi essent, porrecto libello supplice, nonnulla, ex quibus salus Belgij penderet, significassent: illos primùm blandis verbis ducere, deinde cum undecunque vires comparatę essent, eisdem

vim

d L. 3. lib. 32. D.

e L. 4. De leg. & const. Princ. D.

vim intentare, fugare, ac partim tanquam Majestatis reos proscribere, partim supplicijs afficere? Quando unquam est auditum, cui quam benevolam de re necessaria commonitionem fuisse fraudi, eique capitali? Et juratóne promisit hoc capite Princeps, unicuiq; fore integrum, quancunque querelam aliam've quamvis rem ad se deferre? Promisit'ne, se ideo indignationem non conceptutum? Imò verò promisit, si cuiquam mali quidpiam ideo obveniret, se graviter in eum, qui id fecisset, vindicaturum. Quod si in hac caussa facere debeat, neque initium neque exitum inveniret, ipseq; promittendi reus precipuè pœnæ obnoxius esset. Atq; in hoc flagitium illud etiam est multiplicatum. Cùm ea de caussa Marchio Bergensis & Baro Montignius authoritate Gubernatricis omniumq; Belgij Procerum ad Regem in Hispaniam Legati profecti essent: alter cicuta extinctus, alter quadriennalis carceris squalore excarnificatus, tandem jugulatus est. An non Legatorum jus apud omnes populos semper est sacrosanctum habitum? Imò Monarchæ illi Romani ei, qui Legatum hostium pulsasset, ut juris gentium violatori, id capitale esse voluere[f]: quid igitur fecissent ei, qui Legatum devo-

[f] L. ult. De legatio. D.

torum subditorum non pulsasset, sed diuturno carceris tædio excruciatum, tandem trucidasset? Sed id ita Principi visum fuit. Quo jure? Fortè quòd solutum esse legibus, in aures insusurraretur. Sed quod hic ad adulatoriam falsamq; interpretationem & suggestionem ausus est: id illi, quanquam revera soluti legibus essent (in nullas enim conditiones jurarant, omniq; legitima oppositione majores erant) nunquam certè fecissent. Siquis mihi Caligulas, Nerones, Commodos, Heliogabalos memoret, eos non homines fuisse, sed monstra, sed belluas, sed infernales Furias responderim. Tam præclaros scilicet fructus belli illi Consiliarij pariunt, qui Principum auribus de solutione legum occinunt: qui ut Principes etiam soli possideant, Ordines audire & consulere, infra eorum dignitatem esse, ajunt. Sed quando tandem Principes istiusmodi nebulonibus habere desinetis fidem? An tum tandem, cum regna vestra, cùm provincias, cùm subditos, cùm vos ipsos perdideritis? Deus id avertat, eamque vobis potiùs mentem det, ut facessere jussis istiusmodi Consiliarijs, cum ijs deinceps de republica agatis, quos populi, quorum authoritate vos etiam gubernacula tenetis, ut

vobis-

vobiscum agerent, deque publicis rebus vobiscum & consulerent & statuerent, pro se delegarunt. Quod si facere in animum inducere poteritis, simul reipublicę vestraque pericula amoliemini, simul nomen vestrum non modò omni infamiæ labe incontaminatum, verumetiam illustre atque gloriosum, ad extremam usq; posteritatem transmittetis.

De curia feudali.

CAPVT. XLII.

IVDICIIS nostrarum rerum feudalium in Brabantia ibi locum constituemus, ibidemque earundem rerum dies juridicos edicemus, ubi ipsi commorabimur, ut quibus ijs de rebus lis est, cum testibus necessarijsque instrumentis, commodè eò venire possint. Et siquando nos peregrè extra Brabantiam esse continget, authoritatem dabimus honesto cuipiam viro, sive Præfecto Brabantiæ, sive alteri cuipiam, qui Consiliarius Brabantiæ esse possit, ut dum aberimus, dumque nobis visum fuerit, suscipiat feuda à nobis promanantia, observetque feudalium rerum juridicos dies, eo

loco, ubi Consilium Brabanticum commorabitur. Qui in omnibus, quæ feuda attingunt, facere ea poterit, quæ nos præsentes facere possemus: ut tamen nihil aut det aut remittat.

COMMENT.

HOc caput cum septimo similis dispositionis est, & fortasse quæ ad illud scripsi, hîc repetere non ingratum erit.

De nundinis anniversarijs civitatis Antverpiensis.

CAPVT. XLIII.

LIBERAS anniversarias nundinas civitatis Antverpiensis per omnes nostras provincias, dominia, & ditiones, terra marique, quibuscunq; & hominibus & mercibus liberas servabimus, servandasq; curabimus. Et si eæ nundinæ ob aliquas caussas ad modicum tempus, quatuordecim noctium fortè aut infrà, à Præfecto Magistratuq; Antverpiensi prorogentur: promittimus

timus prorogatas eas nundinas æquè liberas servare, atque tenemur principales.

COMMENT.

PRIVILEGIUM istiusmodi nundinarũ in hoc pręcipuè consistit, quòd quisque in eas commeare, in ijs negotiari, indeq; remeare à creditorum molestijs liber possit: idque tam respectu mercium aliarumq; rerum, quàm personæ suæ. Neq; verò hoc privilegium novum est, sed & à Romanis Imperatoribus concedi solet [a]. [a] De nundinis. D, C.

De nundinis anniversarijs civitatum Bruxellæ, Antverpiæ, & Bergæ ad Zomam.

CAPVT. XLIIII.

NEQVE turbandas labefactandasve curabimus liberas anniversarias nundinas nostrarum civitatum Bruxellæ, Antverpiæ, Bergæ've ad Zomam, per executiones, edicta, interdicta, aut etiam per literas repressaliarum sive pignerationis,

istiusmodive alias; quas contra libertatem earum concedere possemus: exceptis tamen proprijs nostris debitis, & simul jam de re monetaria facto, aut etiamnum faciendo edicto, quod tam intra eas nundinas, quàm extra observari volumus, ut ejus violatores coërceantur & puniantur.

COMMENT.

HIc obviam itur cavillatorijs fraudibus, quibus commoda istius privilegij everti possint. Apud nonnullos populos quondam moris fuit, ut si homicida profugus ab ijs, apud quos esset, deposcitus non dederetur: gentilibus atque cognatis occisi pignorandi potestas fieret, id est, ut quoad reus deditus esset, in quoscunque ex ijs, apud quos reus esset, manum injicerent, atque detinerent. Quod jus ἀνδρολήψίαν Græci vocarunt: Latini alij pignerationem, alij clarigationem sunt interpretati. Cui juris speciei persimile a Iudic. 20. est illud factum [a] populi Israëlitici, cùm ob execrabile illud scelus contra populares suos tribus Benjamin non antè arma moverunt, quàm illi sceleris reos recusarent dedere. Ille autem mos (ut fit) tandem

etiam

etiam ad alia tractus est, ita ut Præsides provinciarum ejus qui deliquisset, cognatos, familiares, cives, aut populares: creditores etiam alios, quàm qui deberent, apprehendere, pecunias extorquere, alijsq; incommodis afficere non erubescerent. Atque adeò id quidem, ut contra eam insolentiam atq; injuriam leges ferre necesse esset. Creditorum insolentiam [b] Zeno & [c] Iustinianus: Præsidum & judicum Arcadius & Honorius [d], & deinde etiam Iustinianus [e] coërcuere. Sed quia nullum malum ita sepeliatur, quin aliquando repullulet: Præsidum insolentiam illam aliquo modo sapit, quòd hodie Principes alterius subditos eorum've bona pignerantur, sive detinent, aut involant, de quo nonnihil ad caput tertium dictum est. Creditorum verò injuria hoc capite repræsentatur, cùm diplomata à Principibus impetrant, quorum authoritate alios pro debitoribus detineant. Sed promittit hîc Princeps se istiusmodi diplomata non concessurum. Galli istiusmodi diplomata, ***lettres de marque*** vocant, quæ vox hoc capite etiam expressa est. Barbari monstrosam hîc nobis vocem peperere, ut istiusmodi pignerationes, quibus alij pro alijs detinentur, incommodisve

b Vt nul. ex vic. pro al. vic. de B.C.
c Novel. 52. in initio.
d L. 22. De pœnis. C.
e Novel. 134. §. Cùm verò conting.

afficiuntur, repressalias nominarent. Atque hæc quidem à prima quasi origine repetenda putavi; quò res tam obscura majorem acciperet lucem.

De nationibus mercatorum in Flandria.

CAPVT. XLV.

NATIONIBVS mercatorum in provincia nostra Flandria stationem habentibus, nulla deinceps privilegia immunitatesve dabimus aut concedemus, quæ ullo modo provinciæ nostræ Brabantiæ, ejusve incolis, detrimento præjudicióve esse possint.

COMMENT.

HOc caput minùs necessarium esse cœpit, postquam nationes illæ, exceptis nonnullis Hispanorum familijs, Brugis Antverpiam commigrarunt: quod circa annum sesquimillesimum decimum sextum maximè est factum. Antea Brugas nonnullis seculis bearant, quos Iacobus

cobus Meierus author est anno supra millesimum trecentesimum primo Gallorum inde tyrannidem fugisse: sed ea sublata, reversos ita nationibus ac numero accrevisse, ut centesimo quadragesimo altero pòst anno, cùm Philippo Burgundioni Flandriæ tum Comiti gratulatum procederent, triumphi alicujus instar exhibuerint. Scribit Meierus in ea pompa fuisse Teutonicos, qui Hansæ, id est, socij dicerentur, Hispanos, Mediolanenses, Venetos, Lucanos, Genuenses, Florentinos, Catalanos, & Lusitanos, qui splendore omnes & magnificentia inter se certarent. Laudanda ergo & in hoc Brabantiæ Ordinum prudentia est, quod illis temporibus adversus hominum tam potentium obreptiones, publico se pacto munierint.

De bonis Brabantinorum in alijs provincijs sitis. & Hominibus diversarum provinciarum libera inter se commercia fore.

CAPVT. XLVI.

PERMITTEMVS & curabimus, ut incolæ provinciæ nostræ Brabantiæ, liberè & pacificè utantur ijs suis bonis eorumq; fructibus, quæ in ullis alijs nostris provincijs aut ditionibus habent, aut postmodum acquirent: non obstantibus ullis edictis interdictisve, quæ in contrarium publicari possent. Similiter mercatores & incolæ quarumcunque nostrarum provinciarum, dominiorum, & ditionum poterunt cum bonis suis & mercibus inter se commeare, conversari, & mercari: & bona sua quocunque visum fuerit, sub legitimo vectigali & tributo perferre in mercatus.

COMMENT.

INITIO capitis decimi tertij cavetur, Brabantos in alijs Principis provincijs commeantes, supra legitimum vectigal non esse onerandos. Quod quam utilitatem haberet, paucis ad idem attigi. Quamobrem cùm quæ hîc statuuntur, illi prorsus affinia sint, ampliùs mihi hoc loco dicendum non puto.

Husde-

Husdenũ & Bergam D.Gertrudis Brabantiæ annexa manere debere.

CAPVT. XLVII.

OPERAM dabimus, ut retineantur maneantque Brabantię annexa, atq; adeò inseparabiliter in ejusdem potestate, oppida Husdenum & Berga D.Gertrudis, eorumq; territoria, & arces, & quicquid ad ea pertinet: dummodo quidem jure atque consentaneè id facere poterimus. Aut saltem illa provinciæ nostræ Brabantiæ annexa retinebimus retinendáve curabimus, donec pecunia, quæ eorum nomine justè debetur (ob sumptus videlicet in obsidione D.Gertrudis Bergæ, & occupatione præsidiariaq; detentione Husdeni, aliter've factos, atque idcirco percepta damna) bona fide tota restituatur & solvatur.

COMMENT.

QVÆ hoc capite narrantur eisdem temporibus, quibus ad caput decimum tertium Sylvamducis direp-

tam

tam dixi, accidisse puto. Neque cùm historiam non scribam, quantum ad ejus rei veritatem attinet, ampliùs à me requiri velim. Notatu verò non indignum, quod hîc habetur, ea loca in Brabantiæ potestate mansura: quod conforme est cum eo, quod capite undetrigesimo dicitur, quæ bello compararentur, ad Brabantiam pertinerent.

De pensionibus, quæ Brabantis ex civitatibus Hollandiæ debentur.

CAPVT. XLVIII.

SI Hollandiæ Zelandiæq; civitates, pacta inter ipsas & Brabantos de pensionibus solvendis facta, non servare neque exequi contingat: provinciæ nostræ Brabantiæ incolis, quibus ex civitatibus Hollandiæ & Zelandiæ pensiones debentur, adversus incolas Hollandiæ & Zelandiæ, per omnes nostras provincias, dominia, & ditiones, strictè jus administrabimus, administrandumque curabimus, haud secus, quàm in ullis alijs debitis.

COM-

COMMENT.

ET hoc caput miræ Ordinum pro communibus ſubditis ſolicitudinis argumentum habet: neq; verò nunc temporis aliud habet.

Graviam, &c. Brabantiæ annexam manere debere: atque inde ad Conſilium Brabanticum provocari.

CAPVT. XLIX.

INSVPER Ordinibus provinciæ noſtræ Brabantiæ & Tranſmoſanæ promiſimus, atque per hæc promittimus, ditionem noſtram atque civitatem Gravienſem cum ditionibus Cuyck, Keſſel, & Oyen, quatenus jure fieri poterit, ſemper & inſeparabiliter provinciæ noſtræ Brabantiæ annexas & incorporatas manſuras: atq; incolas ejuſdem ditionis atque civitatis Gravienſis, reliquarumq; ditionum Cuyck, Keſſel, & Oyen ad Conſilium noſtrum Brabanticum provocandi jus habituros.

COM-

COMMENT.

QVINTO capite Inaugurationis Marianæ habetur, Carolum Audacem ab Arnoldo Duce Gelriæ, & simul à Duce Iuliacensi legitimè comparasse Ducatum Gelriæ unà cum Comitatu Zutphaniensi, eosq; Principatus ipsi transscriptos esse coram Imperatore ejusq; Consilio, ea conditione, ut ijdem Principatus Brabantiæ annecterentur, neque ab ea unquam divelli possent. Quam conditionem Maria tum confirmans, promisit, se eos Principatus ea lege servaturam, neq; eos aut quicquam eorum sine Brabantiæ Ordinum consensu alienaturam. Siquando tamē eos Principatus jure ad se non pertinere liquidum fieret, ideoque retinere non posset, quod unquam fore non existimaret: se tamen ditionem civitatemque Graviensem cum ditione Cucana, & arce Oiensi Brabantiæ inseparabiliter annexam servaturam, quòd eæ ditiones ad se tanquam Brabantiæ Ducem veteri jure pertinerent. Atq; hanc promissionem Maria in Inauguratione sua anno supra millesimum quadringentesimum septimo & septuagesimo fecit: & quantum

quantum ad Graviensem reliquasque ditiones attinet, quadriennio pòst cum Maximiliano, postmodum Imperatore, marito suo renovavit. Quod autem vetus jus laudatur, est, quòd Otto Dominus Cucanus oppidū de Gravia cum omnibus juribus, fundo, attinentijs, ac libertatibus ad dictum oppidum spectantibus quocunq; modo seu pertinentibus (hæc sunt verba instrumenti, sub quibus ditionem Cucanam etiam & Oiensem comprehendi puto) transscripsisset in Iohannem ejus nominis secundum Brabantiæ Ducem: quod factum est anno supra millesimum trecentesimū vigesimo tertio.

De libertate mercatorum in Brabantia.

CAPVT. L.

MERCATORES cujuscunque sint provinciæ aut nationis, tam peregrinæ quàm cujusquam nostrarum, poterunt cum bonis mercibusq; suis, sub legitimo vectigali & tributo, liberè atq; pacificè ultrò citroque commeare, conversari, frequentare, emere, vendere in provincia

vincia nostra Brabantia & Transmosana, sive in nostris sive Vasallorum ditionibus, in quibus ipsis videbitur commodumque erit civitatibus aut locis:ita ut ijdem mercatores nulla restrictione, edicto, interdicto, alióve modo uno loco magis, quàm alio mercari negotiaríve cogi possint. Poterunt item ijdem mercatores in dicta nostra provincia ubilibet sibi domicilij morandíve locum deligere,sumere, & tenere: ita ut in suo illo arbitrio per prærogativam cujuspiam loci specialis alicujus mercis jus habentis, alióve modo impediri nequeant: ut tamen id ipsum non extendatur latiùs, quàm ad ea Brabantiæ loca, quæ jam nunc specialis cujuspiam mercis prærogativam (Stapel dictam) habent.

COMMENT.

DE liberis commercijs subditorum Principis in diversis ejus provincijs, actum est capite decimo tertio, & quadragesimo sexto. Hîc de exterorum mercatorum libertate agitur, quæ talis certè statuitur, ut mercatoribus grata esse debeat, & provincijs mercaturæ natura destinatis conveniat. Vulgaris vox Stapel, qua specialis

cialis alicujus mercis prærogativa significatur, mihi à Germanica voce, **stapelen**/quod coacervare est, dici videtur: quòd ijs locis, quæ alicujus mercis prærogativam habent, ea merx coacervetur.

De custodia debitorum.

CAPVT. LI.

NON patiemur neque fieri permittemus, ut quisquam incolarum provinciæ nostræ Brabantiæ & Transmosanæ, ob civiles caussas in ullis arcibus earundem provinciarum apprehendatur aut detineatur: sed ob civiles caussas apprehensi custodientur in carcere ejus loci, ubi apprehensi sunt: nisi fortè eo loco carcer nullus sit. Si tamen ob civiles caussas apprehensi, quo loco, quomodoque oporteat, judicio sisti judicatumq; solvi caveant, liberabuntur: nisi ob rem judicatam, nostram've pecuniã aut debita apprehensi sint.

COMMENT.

CVM arces ferè tyrannidis nidi sint, meritò cavetur, nequis ob civiles caussas in arcibus detineatur. Alioqui

qui enim ad legum Duodecim tabularum ſeveritatem proximè accederemus, quæ quantum ad id, ut debitores creditoribus necterentur & addicerentur, primùm lege à M. Varrone relata, ita abrogata eſt, ut debitores, qui bonam copiam ejurarent, id eſt, ſe ſolvendo non eſſe jurati affirmarent, liberarentur: ac deinde lege Iulia ita, ut ſi debitores bonis cederent, idem eſſet. Quæ exempla Imperatores ſequuti, ad eam, quam videmus [a], erga debitores remiſſionem & clementiam progreſſi ſunt, quam nós per omnia obſervare non videmur.

[a] L. 31. De re judic. D. l. 2. & 3. De uſur. rei jud. C. Novel. 135.

De piſcatione in flumine Zenne.

CAPVT. LII.

VNVSQVISQVE, cujuſcunq; ſtatus & conditionis ſit, poterit piſcari in flumine Zenne, quo modo aſſolet licitumq; erat tempore Atavi noſtri, Ducis Philippi, cui Deus ſit miſericors.

COM

COMMENT.

HIc est is amnis, qui Bruxellam interfluens, & infra Mechliniam Delæ fluvio se jungens, unà cum eo ad Rupelmondam in Schaldim se exonerat.

De rebus furtivis persequendis.

CAPVT. LIII.

SI QVANDO nostri nostrorumq; Vasallorum Officiales terra marive aliquem apprehenderint, qui cuipiam sua bona, pecuniam, aut quancunq; rem furatus aut prædatus sit, ademerit, subtraxerit: isque eam rem adhuc habeat, alicubive ipsius nomine non alienata existat: tum ea res in commissum non cadet: sed Officialis, in cujus manus ille incidit, tenebitur ei, cui furto aut vi ablata, adempta, subtractáve erit, restituere, aut ut restituatur, curare: si tamen ille eam rem suam esse, legitimè doceat, aut id sufficienter appareat. Officiali autem illi, qui talem apprehenderit, debebit consentaneum præmium dari, arbitrio magistratus

ejus, ubi iſtud continget, loci.

COMMENT.

QVENQVE res ſuas perſequi & à quolibet vindicare & repetere poſſe, apertiſſimi juris eſt. Hoc tamen nonnullis locis inolevit, ut res furtivę raptæ've apud fures prædoneſ've deprehenſæ, à Præfectis non reſtituantur. Cui iniquitati publico pacto obviam eundum Ordines putarunt. Simili ratione Friderico Secundo de naufragijs conſtituere [a], neceſſe fuit, ut merces dominorũ remanerent, ab ijſdemq́; vendicari poſſent: de quo in Mariana etiam Inauguratione præclarum caput eſt.

[a] § Navigia. De ſtatut. & conſuet. cont. lib. eccleſiaſt.

Nemini re non quæſita manus injici, citrà've judicum ſententiam tormenta adhiberi licere.

CAPVT. LIIII.

DEINCEPS nemo, tametſi nullam cujuſquam civitatis aliam've prærogativam habeat, modò integrę famæ ſit,

sit, sive in nostris sive in Vasallorum nostrorum ditionibus, apprehendi aut in carcerem duci poterit, priusquàm Officialis loci plenam informationem cœperit de suspicione, propter quam apprehendere illum & ducere velit. Nemo item quæstioni aut tormentis subjici poterit, nisi Officialis Iudicibus loci informationem suam exhibuerit, illique reum quæstioni adjudicarint: nisi in crimine privilegiato, cujus cognitio Iudicibus civitatum, agrorum've non competit, sed nobis nostróve Consilio.

COMMENT.

SI (ut ait [a] Venuleius) nihil à specie servientium differunt, quibus facultas non datur recedendi: gravis certè & injuriosa res censeri debet carcer. Quamobrem rectè Præfectorum temeritas hîc frænatur, ut ad denuntiationes suorum quenquam in carcerem rapere non possint, priusquàm plenè de caussa, ob quam id facere velint, instructi & edocti sint. De quo modo in caussis criminalibus agendi, illustrandæ rei caussa, huc transscribere lubet placitum Gordiani: Ea quidem (inquientis [b]) quæ per officium Præsidibus denunciantur, & citra

[a] L. 2. De lib. hom. ex hib. D.

[b] De accus. & inscrip. C. cui etiam lu;

cum adfert, L.6.§. Nunciatores, Ad S.C.Turpil. D.

citra solennia accusationum posse perpendi, incognitum non est. Verùm si falsis necne notorijs insimulatus sit, perpenso judicio dispici debet. Quomodo autem cum tali reo ad quæstionem procedatur, de eo Paulus ita scribit: Qui sine accusatoribus (inquiens [c]) in custodiam recepti sunt, quæstio de eis habenda non est, nisi si aliquibus suspicionibus urgeantur. De quo hîc evidentiùs ita statuitur, ut quæstio de ijs haberi non possit, nisi judices loci diligenter examinatis indicijs quæstioni adjudicarint. Quod porrò hîc crimen privilegiatum dicitur, læsæ Majestatis crimen esse, ex Marianæ Inaugurationis capite primo constat. Cujus quidem criminis peculiare aliquod jus invenio [d]: sed ejus cognitionem ad solum Principem pertinuisse, de eo contraria extant [e] testimonia.

c L. ult. De quæst. D.

d L. 10. in princ. De quæst. D.

e L. 7. §. Hoc tamen, Ad l. Iul. Majest. D.

Officialibus neminem ob debitum in se transcriptum, aut vi datæ procurationis, in sua jurisdictione vexare licere.

CA-

CAPVT. LV.

DEinceps in perpetuum nullis Præfectis alijsve Officialibus provinciæ nostræ Brabantiæ licebit vigore alienationis procurationisve in ipsos factæ aut datæ, in sua jurisdictione per se aut per quemvis alium, manus injicere, detinere, aut vexare aliquem incolam provinciæ nostræ Brabantiæ, aut ejus bona, per caussam quorumpiam debitorum, quæ civitas aliqua, municipium, aut pagus, pensionum vitalium, redituum, aliorumve debitorum nomine debeat. Si contrà faciant, id irritum erit, & sub quo Domino fiet, ei decem aureos Andreanos commissos luent.

COMMENT.

DVo hîc delicta coërcentur, in potentiorem actionem transferre, & alios, quàm ipsos debitores vexare. Sed cùm de illo nonnihil ad caput trigesimum secundum dixerim: de hoc verò ad caput quadragesimum quartum tractarim: superfluum hîc sit plura dicere. Non nescio tamen, de uno tantummodo delicto hîc agi, videri potiùs debere, quod sit, actionem

transferre in Præfectos, qua civitatis alicujus debitricis cives vexent.

Ecclesiastica beneficia non posse Commendationis titulo donari. &, De annui tributi monasteriorum religiosarumq; domum remissione impetranda.

CAPUT. LVI.

Abbates & Prælati, quòd priore bello hoc titulo Hispani pleraque sacerdotia ad se raperent, eorum hostes facti in pacem Gandavensem consenserunt: sed miram offam gustarint necesse est, quòd cum illis in gratiam redierunt, quasi illi ad naturam redituri non sint, si potiri contingat rerū.

NULLO modo deinceps Prælaturę, Abbatiæ, dignitatesq; provincię nostræ Brabantiæ Commendationis titulo donabuntur, donaríve permittentur. Et nos omnem diligentiam adhibebimus, ut à sede Romana reductio impetretur atq; obtineatur annatarum, sive annui tributi eorum monasteriorum atque religiosarum domuum, quæ majoribus fortè gravantur, aut etiam gravari possent, quàm superioribus temporibus pensitare solent: ita tamen, ut Prælati, religiosæ domus, & monasteria sumptus ad impetrandam reductionem necessarios, dependant & solvant.

COM-

COMMENT.

NEQUID omitteret Pontifex, quod ad sumptam semel potestatem declarandam faceret: delicatulis suis, adulatoribus, aut etiam licitatoribus tandem summæ dignitatis sacerdotia commendare, sive (ut loquuntur) in commendam dare cœpit. Eo beneficio affectus, sacerdotij ita dati liberam procurationem habet, & Commendatarij appellatione magnificus est. Pontificiæ autem licentiæ ut in nonnullis alijs, ita in hoc quoque à majoribus nostris obviam est itum. Cùm autem Hispani, quando rerum potirentur, sacerdotijs etiam eo titulo inhiarent, Prælati nostri eo nomine maximè eorum hostes facti, quia ipsis fortasse postmodum aliud est persuasum, partim nunc in eorum castris sunt, partim ab illis non omnino alieni deprehenduntur. Cujus porrò annui tributi, annatæ vocati, mentio fit, ejus origo hæc invenitur. Cùm nullas rationes conflandæ pecuniæ intentatas relinquerent Pontifices, inventum etiam fuisse tributum annuum (quod inde annatæ dictum est) quod unumquodque ecclesiasticum collegium pro

modo facultatum suarum quotannis pensitaret. Quando simul excogitata sunt sacerdotiorum jura caducaria, etiam annatæ appellata, secundum quæ sacerdote aliquo mortuo, unius anni obventiones deferuntur Pontifici, quæ successori decedant. Nec egregiū huic aucupio velamen defuit, quòd magnus scilicet quispiam thesaurus ad necessitates belli Turcici esset coacervandus. Verè mundus prorsus cæcus fuit, qui tam crassas imposturas non animadvertit. Atque utinam in eo uno cæcus fuisset.

Confirmatio omnium privilegiorum, &c. &, Exceptionum renuntiatio.

CAPVT. LVII.

Cùm novi Episcopatus ad eversionem abbatiarum spectarint, nihil pro Rege dici potest, quod illum purget à violatione promissorum hic Prælatis factorum. Inquisitio

INSVPER confirmavimus & ratificavimus, confirmamus & ratificamus omnibus nostris Prælatis, religiosis domibus, monasterijs, Baronibus, Equitibus, civitatibus, municipijs, omnibusque alijs fidelibus nostris subditis, incolis nostrarum provinciarum Brabantiæ & Transmosanæ, omnia ipsorum jura, immunitates, privilegia,

legia, instrumenta publica, consuetudines, usus, & traditiones, quæ habent, quæque ipsis à majoribus nostris Ducibus & Ducissis, data, concessa, & consignata sunt: ea quoque quæ ipsis usit[illegible], frequentata, & de manu in manum tradita sunt. præcipuè verò epistolam fœlicis memoriæ Ducis Philippi Atavi nostri tempore Inaugurationis suæ tribus Ordinibus concessam, eodem die, quo tabulæ Inaugurationis, datam. similiter duas alias epistolas ijsdem Ordinibus ab eodem fœlicis memoriæ Atavo nostro concessas: unam anno supra millesimum quadringentesimũ quinquagesimo primo, vigesimo die Septembris: alteram anno supra millesimum quadringentesimum quinquagesimo septimo, decimo octavo die Novembris datam. similiter etiam duas illas additiones Inaugurationi Domini nostri Imperatoris additas: unam Gãdavi die duodecimo Aprilis, anno supra sesquimillesimũ decimo quinto post Pascha: alteram Brugis vigesimo sexto Aprilis eodem anno datã. Et promittimus pro nobis & hæredibus posterisque nostris ea omnia (quatenus observationi subjecta sunt, atq; observari possunt) universè & sigillatim in perpetuum firmiter & inviolabiliter observare, ita ut nullo

verò Hispanica ad eversionem totius juris Principatus, omnisque adeò libertatis spectabat: ut hæ duæ velut faces fuerint, quibus totum Belgium perdere Hispani destinarant.

Exceptionem hanc sanè quàm captiosam, non tamen exitiosam, qualia sunt præcedentia, pepetit reformatio illa, de qua in Præfatione.

ea mo-

ea modo infracturi, aut contrà facturi, fierive aut curaturi aut permissuri simus. Atq; insuper pro nobis & hæredibus posterisque nostris ampliùs ipsis promittimus, nos nunquam allegaturos, prolaturos've in mediū, aut allegandum curaturos, nos ipsis jam dictas immunitates, jura, privilegia, instrumenta publica, consuetudines, usus, & traditiones, quas jamjam confirmavimus & ratificavimus, non teneri observare, quòd ista capita sive articulos suprà separatim speciatim've illis non dedimus, concessimus, aut promisimus: quod ipsum in eo obstaculi nocumentive quippiam illis afferre, aut præjudicio esse nolumus.

COMMENT..

SPARGITVR quoquoversum, etiam hac de caussa justissimam Regis in has provincias iram esse, quòd quæ Ecclesiastico ordini juratò promisit, servare non possit. At quæ Ecclesiasticis promisit, eadem etiam nobilitati reliquoq; populo promisit. Vbicunque enim privilegiorum, eorumq; quæ unà recensentur, observatio promittitur, tres illi ordines conjunguntur. Et Rex quidem simul omniū privilegia labefactare conatus

conatus eſt, cùm contra juriſ-jurandi religionem novos Epiſcopatus conſtituit. Cui etiam conatui non minùs Eccleſiaſtici, quàm reliqui, reſtitere. Et quidem eorum etiam magis intererat, ut quorum præcipua bona Epiſcopatibus abſorbenda eſſent. Et adeò tum Rex promiſſorum ſuorum rationem non habuit, ut erratum errato cumulans, Inquiſitionem Hiſpanicam tandem imperarit. Quam cùm omnes omnia ſimul privilegia, omnemq; libertatem everſuram ſcirent, non potuit non horribilis perturbatio ubique per provincias exiſtere. Hæc ſanè fuit cauſſa, fons & ſcaturigò omnium malórum Quam etiam cùm Hiſpani armis tueri & exequi vellent, &, qua inſolentia & crudelitate ea natio eſt, multa intolerabilia committerent, tandemque etiam omnium rerum decimationes extorquere vellent: læſa ſæpius patientia, ut fit, in furorem eſt converſa. Multi tum defectione facta eos receperunt, qui religionis cauſſa exularant: & quia eorum religionem magis, quàm Romanam probarent, ſimul eam religionem publicam fecerunt. Quod Eccleſiaſtici ferre nequeuntes, ſe ita geſſere, ut tolerari non poſſent: & recedere juſſi palàm ſe Hiſpanis iunxere, alioſq; in ſuam ſententiam traxere.

Atque

Atque inde cum tempore augescente odio, cùm tandem alteri alteris cedere deberent, præsens infortunium in Ecclesiasticos recidit. Expendat jam quisq; ,an justa Regis ira sit , cujus ex his ipsummet authorem esse liquidò constat. Et Ecclesiastici ipsi sibi exitium peperere, qui si popularium quàm Hispanorum partes sequi maluissent, quanquam mutatâ religione ecclesiasticis obventionibus frui potuissent. Vt autem repetam , quod suprà semel dictum est , si in caussâ religionis nihil unquam durius tentatum fuisset, nostri homines, qua animorum placabilitate sunt , mediocri cognitione, atq; libertate contenti, in summa victuri erant tranquillitate. Nunc ad ea, quæ probare non possent, coacti, excitatis ea indignitate eorum animis, quæ probabiliora viderentur, in ea intentiùs inquirere, exactiusq; discere, & cognita tueri cœpere. Est igitur, quòd Rex sibi imputet, quòd alia hîc religio publica sit, quàm quæ ipsi placeat : neq; est, quòd quisquam deinceps ejus ob religionem iram justam dicat.

Enimverò haud abs re fuerit , hoc loco de trium Ordinum sive Statuum ratione nonnihil attingere. In Brabantia igitur hos constituunt Ecclesiastici, Nobiles, & reliquus

quus populus. In comitijs conveniunt Abbates nonnulliq́ue ex Ecclesiasticis alij, qui Prælati appellantur, quos duodecim esse memini, atque hi Ecclesiasticum statum repræsentant. Nobilitatis statum repræsentant, siqui sunt Duces, Marchiones, Principes, Barones, & nonnulli ex reliqua nobilitate alij. Popularem statum repræsentant, majorum civitatum Consules, aliquotq́ue Iudices cum Syndicis. Sed mirabitur antiquarius aliquis, hîc primos ordines ducere, qui inde ab initio Christianismi publicis se administrationibus immiscere sunt prohibiti. Canones illi (inquiet) qui Apostolorum dicuntur, voluntne Ecclesiastici citra omnem controversiam Apostolorum esse? Adeò sanè, ut nullam quantumvis justam rationem in contrarium audire sustineant. Sed eorum octogesimus prohibetne, ne publicis se negotijs Ecclesiastici immisceant? Imò etiam ab Ecclesiastico munere deponi tales vult, illud Christi laudans, Neminem duobus dominis servire posse[a], dicentis. Et multa deinceps Patrum Concilia, quæ ipsi tantopere jactitant, idem ne statuêre? Statuêre sanè, & veteres Imperatores comprobavere[b]: sed nimis longum esset, si recensere velis. Neque verò longa hîc

a Matt. 6.

b L. 36. §. Absurdum, De episc. & cler. C. Novell. 123. §. Porrò Dei.

hic disputatione opus est, cùm ea scena prorsus mutata sit, postquam Romanus sibi Choragi personam asseruit. Qui quia ad Monarchiam statim aspiravit, primùm sacris literis fucum induxit, earumque interpretationem sibi sumpsit: ac deinde sensim ecclesiarum ministros velut Circæo pharmaco transformavit, mundumque adeo ipsum personatis clientibus replevit. Neque usquam speciosus huic prætextus defuit: itaque quod Levitis in populo Israëlitico decimæ cessissent, ut suis illis decimæ quoq; cederent, evicit. Scilicet commoda illi Israëlitici sacerdotij magnifica species ad institutum suum fuit. Fundamento hoc jacto, viam ille ad vota sua expeditam habuit: & clientes illi, ut qui Levitico jure decimas non accepissent, ipsos etiam decimarum fontes, quo jure qua injuria, tanta sibi copia comparavere, ut præter religionis speciem, facultatum quoque & potentiæ nomine, ad negotia conventusq; publicos admissi sint. Sed jam non tam miror (inquiet antiquarius) quòd illi publicis se negotijs immiscent, quàm quòd ad ea intromissi sunt, qui non solùm utilitatem aliquam reipublicæ adferre recusant (contendunt enim se suaq; ab omnibus oneribus publicis immunes

esse)

esse) verumetiam externo Principi arctissimo jurisjurandi religionisq; vinculo sunt obstricti. Quid verò illi utilitatis reipublicę adferant, qui nisi abhinc centum triginta circiter annis prædia comparare prohibiti essent, integram omnino Brabantiam inglutijssent, ita ut neque Principi neque subditis jam quicquam reliqui esset? Qui quanquam tum ampliùs, quàm Brabantiæ semissem possiderent, ejus interdicti tamen caussa parum abfuit, quin omnia cædibus atque flammis miscuerint. Atq; nunc quidem ultra bessem præter decimas & obventiones, quas ex triente habent, possidere memorantur: adeò obrepere legi noverunt, quanquam à Carolo Quinto renovatæ. Illud certè est exemplo Levitarum præclarè decimas petere, cùm illi nulla prędia habere potuerint, his verò universus orbis vix sufficiat. Quòd verò externo Principi obstricti ad negotia publica admittuntur, in eo sanè magis mirarer majorum simplicitatem, nisi in immensò gravioribus religionis specie ab illis decepti essent. Et desino mirari, me nusquam cautum invenire de ijs, qui externis Principibus jurejurando devincti sunt, cùm illi nequid sibi moveretur, id supprimendum curarint: quanquàm à tali, quàm

ab homine extero, plus periculi expectari debeat. Et quantum detrimenti istorum hominum culpa & perversitate hisce provincijs multis jam annis illatum sit, perdifficile sit dictu. Tum postremis hisce annis, cùm fortè aliquam bonæ voluntatis laudem adepti essent, mox clandestinis cum hoste consilijs, intempestivis cum eo actionibus, proditionibus, confœderatorum divulsionibus, & manifestis denique ad hostem defectionibus omnem eam laudem fœdè conspurcarunt, cunctasq; has provincias in æternum perdere studuerunt. Quòd nisi, ut piscator ictus, sapiemus, talesq; homines ab omni deinceps administratione publica removebimus, ne ipsa quidem nos conservabit salus.

Prætcrire silentio haud possum, clausulam illam: *quatenus observationi subjecta sunt, atq; observari possunt*: neque Marianam, neque recentiorem Carolinam Inaugurationem habere, valdeque captiosam esse, præsertim si Pricipum Consiliarij, talesq; qualium subinde mentionem fecimus, Iurisconsulti, ad interpretationem admittantur. Quæ horum temporum improbitas est, vitari omnibus modis convenit, nequis locus detur cavillationibus: præcipuè

verò,

verò, si cum Principibus res sit.

Atque quantum ad eam, quæ additur, exceptionum renuntiationem attinet, processit ea solicitudo atque curiositas ex subtilitate disputationis [c], an tot stipulationes sint, quot res: sed quin res plures aut simul aut separatim promissæ, æquè debeantur, absurdum sit dubitare. Habet Mariana Inauguratio nonnullas etiam alias renuntiationes, ut personarum temporumq; circunstantiæ eas jam plures jam pauciores postulant. Omnium autem deinceps præstantissima sit, Infulati Monarchæ abjuratio, ut qui præcipuus cavillationum perjuriorumque author sit. Ad quod si Prælati nostri mox à pace Gandavensi adduci potuissent, neque ipsi in perpetuam infamiæ notam, neque hæ provinciæ in hæc tanta damna incidissent. An Christus sapientiæ fons ipsaque adeò sapientia, quæ ab humano genere requireret, ita imperfectè aut obscurè mandanda literis curavit, ut novam voluntatis ejus descriptionem ab homine petere debeamus? An si quantum in nobis est, Christi præceptis (quibus utriusque Testamenti scripta complector) morigeri simus, Christiani tamen, nisi ab homine pendeamus, esse non possumus?

c L. 29. L. 86. De verb. oblig. D.

Facessant hactenus credita deliria.

Confirmatio Inaugurationis: &, Si Princeps eam non observet.

Vtinam, utinam Philippe in hac voluntate perstitisses, & fortasse optas & ipse.

PORRO quia volumus & cupimus, ut omnia jam dicta capita, articuli, indulta, promissa, confirmationes, & ratificationes firmiter & inviolabiliter observentur, neq; unquam in perpetuum infringantur: omnibus in universum Prælatis, monasterijs, religiosis domibus, Baronibus, Equitibus, civitatibus, municipijs, & omnibus etiam fidelibus nostris subditis, provinciarum nostrarum Brabantiæ & Transmosanæ incolis, ipsorumq; hæredibus & posteris, bona fide pro nobis, hæredibus nostris atque posteris, promisimus, tactisque sacrosanctis Euangelijs corporaliter juravimus, ea omnia post obitum Domini nostri Patris firmiter inviolabiliterq; observare, neq; ullo modo unquam contra ea facere, faciendum've curare, aut ut contrà fiat, permittere. Et si nos aut ipsi, aut per alium quemvis, aut etiam hæredes posterive nostri, contra hæc aut universa aut singula, quo-

Solenne profectò jus-jurandum; ad cujus contemptum tam protervum quis non exhorrescat?

quocunque modo fecerimus: consentimus, volentique animo permittimus ijsdem nostris Prælatis, Baronibus, Equitibus, civitatibus, municipijs, omnibusque alijs nostris jam dictis subditis, ut nobis nostrisve hæredibus aut posteris, nullum omnino obsequium præstent, neque in ulla re, qua nobis opus sit, quam've ab ipsis petemus aut requiremus, pareant, donec quod ita commissum fuerit, correxerimus, restituerimus, ab eoq; plenè destiterimus atque renunciaverimus. Præterea volumus, decernimus, declaramus, ut qualescunq; Officiales præter tenorem hujus nostræ Inaugurationis constituti, continuò pro destitutis censeantur: & ut insuper, quicquid deinceps contra prædicta attentari poterit, irritum sit, neq; pro valido unquam haberi possit. Atq; hæc omnia sine omni fraude. In quarum rerum testimonium atq; perpetuam firmitatem, nos Imperator & Princeps prædicti, nostra sigilla hisce appendenda curavimus. Datum in civitate nostra Lovaniensi, quinto die Iunij, anno Domini nostri supra sesquimillesimum quadragesimo nono, Imperij nostri trigesimo, Regni Castiliæ, aliorumq; trigesimo quarto.

Facessant igitur episcopatus, facessat inquisitio, & quicquid est istiusmodi.

COMMENTARIVS.

NOvus Princeps promissionem hanc primùm Lovanij, deinde Bruxellę, deinde Antverpię, postremò Sylvæducis, quæ quatuor Brabātiæ metropoles sunt, facit. Omnibus his locis magnificum ad id quasi theatrum præparatur, in quo Princeps multis ex Ordinibus præsentibus, spectante frequentissimo populo, porrectis in propositum Euangeliorum librum digitis, in promissionem illam jurat. Quo facto, populus elatis manibus vicissim fidem promittit. Tum verò in plaudentem populum aurei argenteiq; nummi jactantur. Istiusmodi autem actus an pro ludo? tam seria an pro ludicris haberi poterunt? An promissa tam solenniter jurata, servari non debebunt? An quod Deo teste promiseris, ejus tibi gratiam facere poterit homo? Et ut possit (quod tamen nunquam probabitur) an idem facere poterit, ut populus juris sui oblitus, perjuria toleret, seque adversus injuriam non muniat atque vindicet? Id si impurus ille posset, tum verò magnus haberi, atque adeò terræ Deus posset, qualem aliquot jam secu-

lis fascinato mundo se impudenter ostentavit. Iam verò quid aliud, quàm Principes perjuros facit, multis solicitudinibus, incommodis, atque periculis involvit: & provincias omni calamitatum genere implicat? Plusquàm millies publica ejus acta & consilia, turpia, nefaria, atque infausta deprehensa sunt: & esse, qui illa adhuc sectentur, profectò est mirum. Quod verò ad denegandam obedientiam, si Princeps pacta non servet, attinet, in his posita ejus est æquitas. Populum non Principum, sed Principes populi caussa esse, certum est. Principem commodo non incommodo oportere esse populo, & quod navis gubernator est vectoribus, æquè. Quòd populus imperium suum in Principem transfert, commodi caussa facit: neque enim ipse, si imperium suum retineret, eo ad incommodum suum uti vellet. Atque ex his etiam rationibus obedientia Principi negari posset, etiamsi nullis conditionibus receptus esset: cujus nulla, tyrannicis rerumpublicarum oppressionibus exceptis, exempla sunt. Cùm enim id, cujus caussa aliquid est, dignius sit eo, quod ejus caussa est: si hoc id non efficiat, propter quod ejus caussa est, quamobrem hoc ipsum, cujus

caussa est, illud tanquam superfluum aut noxium non negligat, aut etiam amoveat? Præsertim cùm in eodem statu futurum sit, in quo erat, priusquam id ejus caussa esset: & nunc non minùs, quàm tunc subsistere possit? Ac verò in navi qui vectores eum gubernatorem ferant, qui clavum non rectum teneat? Denique quis ei obsequiosus sit, qui jure, quod in eum contulerit, contra ipsum uti velit? Quinimò quot tyrannos, qui respublicas oppresserant, aut motos aut necatos legimus? Quæ cùm ita se habeant, quid id rei novæ miræ ve habet, sicui sub conditionibus recepto, easdemque non observanti Principi, obedientia denegetur? Quid etiam absurdi habet, quòd Princeps, si pacta non servet, subditis in se inobedientiam quasi mandat? Cujus rei origo ad Iohannem ejus nominis tertium Brabantiæ Ducem refertur, ut qui, cùm parum, quibus receptus erat, conditionum memor fuisset, ideoq; Philippo ejus fratre in ipsius locum suffecto, ab Ordinibus, dum resipisceret, motus esset: ubi deinde omnia instaurasset, Ordinibusque satisfecisset: diploma dederit, quo Ordinum factū comprobavit, & quandocunque usus postularet, ut idem facerent, potestatem fecit. Et prudenter sanè, ut in

cæteris,

cæteris, Ordines fecere, qui deinceps in omnibus Inaugurationibus id repetendum curavere. Quomodo enim jam aliquoties dictum est, non possunt Principum repagula neque nimis arcta esse, neque nimis manifesta. Et, ni fallor, ex exemplo jam commemorati facti habent nonnullæ Inaugurationes, Ordines, si Princeps pacta non servet, alium in illius locum surrogare posse, qui res administret, provinciamq; si necesse sit, defendat, donec Princeps agnita culpa quasi in integrum omnia restituat. Sed hoc rei necessitas exigit, ut cui Principem offendere licet, eidem etiam quæ ad reprimendam ejus violentiam faciant, comparare liceat. Nam alioqui idem ei eveniret, quod ferarum cicuratori, qui si se adversus minimam etiam earum offensam non muniat, de vita periclitatur. Et quò Princeps, qui offendi debeat, potentior sit, eò quoque illustrior potentiorq; defensor ut sumatur, convenit. Disputarunt Coloniæ Pacificatores, declarationem fieri debere de prævaricatione, priusquàm Principi obedientia negari posset: quasi verò nostrorum Principum promissa non satis certa, neq; satis disertè literis mandata sint, ut eorum violatio mox in omnium sensus non incurrat; quasi item

cùm inter Principem & subditos actum sit, alia subditi declaratione uti debeant, quàm qua vel admonitione vel contestatione, Princeps de prævaricatione certior fit. Graviter tulerunt ijdem, illud privilegium de non parendo prævaricanti Principi, reliquis provincijs ut communicaretur, peti: quasi illis ipso id jure non competat, aut quasi id à Maria Caroli Audacis filia omnibus hisce provincijs communicatum esse, authores desint. Sed in omnibus hodie absolutissimæ authoritatis instrumenta requiruntur, scilicet. Id verò vos universos, ô Belgæ, incitet, ut præsenti hac occasione vobis plenissimã in omne ævum securitatem paretis. Dulcescent ita tantæ, quas tanto tempore perpessi estis, calamitates: & dulcissimos fructus tantorum incommodorum, consummatam nempe libertatem, ad posteros transmittetis. Deus vestri mirabiliter est misertus, ut ad ea bona pervenire possetis. Dei nutu ac beneficio fasciculum sagittarum pro insigni accepistis: cujus saltem vos & originem & significationem diligenter expendite.

FINIS.

ALTERA ADDITIO *Inaugurationis Caroli Imperatoris, etiam à Philippo Hispaniarum Principe, jurejurando confirmata.*

PRÆFATIO.

CAROLVS Dei gratia, Princeps Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, &c. Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Omnibus, qui hanc nostram epistolam videbunt aut legent, S.

POSTEAQVAM nobis dilecti Deputati civitatum, municipiorum, agrorumque provinciæ Ducatusq; nostri Brabantię, postquam inaugurati, atque in Dominum ejusdem provinciæ recepti fuimus, Nobis præsentarunt atque tradiderunt libellum quendam supplicem, continentem diversas querelas & defectus circa gubernationem & prosperitatem earundem civitatum, municipiorum, pagorum, totiusq; provinciæ incolarum, petentes atque requirentes, ut in eo ipsis de consentaneo remedio prospicere veli-

velimus: Nos propensi in preces atq; supplicationem earundem civitatum, municipiorum, pagorum, totiusq; provinciæ incolarum, super ijsdem querelis & defectibus cum dilectis nobis & fidelibus Cancellario alijsque viris nostri in Brabantia Consilij & Ærarij, inquisitione facta habitoq; consilio, de maturo consilio nobis dilectorum atque fidelium Cancellarij aliorumque virorum secreti nostri Consilij nobis assistentium, Ordinavimus, statuimus, volentique animo concessimus, ordinamus, statuimus, volentique animo concedimus per hanc nostram epistolã capita sive articulos subsequentes.

COMMENTARIVS.

POSTQVAM Carolus inauguratus esset, ejus promissa cum aliorũ Principum promissis conferre, & nunquid usus prætereà postularet, diligenter expendere, Ordines non piguit. Ea diligentia cùm hæc sedecim capita collegissent: non destitere, priusquàm Carolus ea quoque confirmasset. Quòd verò nonnulla eorum parvi momenti esse videntur, nescimus, quanti ea illi tum duxerint æstimanda. Quòd quædam etiam ex Inauguratione quasi repeti videntur,

dentur, ea solicitudo reprehensionem non meretur: quòd quæ cum Principibus agenda sunt, nimis exprimi caverique non possunt.

Vectigalis immunem apud telonium non adesse debere mercibus.

CAPVT. I.

MERCATOR apud aliquod telonium nostræ provinciæ vectigalis immunis, non debebit deinceps ipse adesse bonis, ut sua esse probet: sed sufficiet, si pro veteri consuetudine justam certificationem, aut ejus loci, ubi habitat, authenticas de immunitate tabellas mittat.

COMMENTAR.

SYLVADVCENSES magnam vectigalium immunitatem, ut decimo tertio Inaugurationis capite liquet, habentes, anno supra sesquimillesimum octavo, à Maximiliano Imperatore, ut Caroli tutore, impetrarunt, ut cum bonis suis missis ad

ad publicanos justis testationibus, ipsi adesse non deberent. Id verò hîc in commune statuitur.

De prolongatione indultorum minorum quorundam tributorum, & viariorum vectigalium.

CAPVT. II.

VNICVIQVE civitati provinciæ nostræ Brabantiæ, quæ indulto nostro majorum've nostrorum minora aliqua tributa, aut vectigalia viaria percepit, aut adhuc ad aliquod annos percepturæ est: idem illud indultum post expirationem in duodecim annos prolongabitur: ut tamen nobis per id tempus quotannis solvatur tantum pecuniæ, quantum ex tenore ea de re confectarum tabularum debetur, quæ tabulæ, quandocunq; civitates requisent, tenovabuntur.

COMMENT.

Ex his tributis (quæ vulgò accijsen vocantur) & vectigalibus viarijs (quæ Barbari pedagia vocant) ferè nostrarum civitatum ærarium conficitur: sed facit multitudo illorum, magnaque hominum frequentia, ut proventus illorum annui nonnullis locis in incredibiles summas exurgant.

Brabantos ad tribunalia ecclesiastica extra Brabantiam evocari non posse: &, De quibus caussis Ecclesiastici cognoscant.

CAPUT. III.

Incolæ provinciæ nostræ Brabantiæ non poterunt evocari in judicia spiritualia Episcoporum Leodiensis aut Cameracensis extra Brabantiam constituta, sive ob personas suas, sive ob bona sua; dummodo ipsi in Braban-

bantia degant, & bona ibidem sita sint. Sed in spirituales curias eorundem Episcoporum in Brabantia constitutas, in jus vocabuntur: quandiu quidem spirituales illæ curiæ in Brabantia erunt. Spirituales autem illi judices de tribus tantummodo caussis cognoscent, videlicet, an testamenta valeant nec'ne, de contractibus matrimonialibus, & de spiritualibus laicorum dominio exemptis bonis.

COMMENT.

Leodiensis & Cameracensis Episcopi, quantum ad spiritualia (ut vocant) Brabantiam inter se divisam habent. Et quia Brabanti extra Brabantiam in jus evocari non possunt, ut vigesimo quarto Inaugurationis capite cautum est, uterque in Brabantia curiam instituit. Ponuntur autem hîc tres caussæ, ob quas Brabantus laicus (ut vocant) in hæc judicia vocari possit. Nempe si disputetur, an testamenta valeant nec'ne, de contractibus matrimonialibus, & de spiritualibus prophanorum scilicet hominum dominio exemptis bonis. Postquam Episcopus Romanus officio suo spreto ad principatus & regna animum

animum adjicere cœpit, nihil deinceps istiusmodi fuit, quod cùm posset, ad se non raperet, & Ecclesiasticos, quorum se jam caput & Principem constituerat, ut idem facerent, exemplo suo instruxit. Qui cùm hoc institutum religionis specie obumbrarent, ita illis idem successit, ut intra pauca secula longè maximam omnium bonorum partem corraserint. Et nisi eorum rapacitati multis locis diversis temporibus restitum fuisset, nihil jam miseris (quos vocant) laicis fecissent reliqui. Quantum illi in Brabantia conflarint, ad caput Inaugurationis quinquagesimum septimum attigi: & simul, quando illis fuerit restitum. Quomodo autem in prædijs, ita etiam in alijs rebus omnibus egere. Et ut prædiorum comparatione illis interdicendum fuit, ita quoque de judicijs decîdi cum illis debuit: ut qui aliquando ita omnes judicialium actionum partes occuparint, ut eorum improbitatis compescendæ caussa, duo reliqui Ordines (quas seculares vocant) fœdere se jungere debuerint: quod anno supra millesimum, quadringentesimum sexto & octogesimo accidit. Remanserunt autem illis in Brabantia (ut jam dictum est) caussæ testamentariæ, matrimoniales, bonorumq; ecclesiastico

juri nexorum. Romanus ille principatus aliasque ditiones nactus, inter subditos suos ita juri veteri in testamentis septem testes [a] requirenti, derogavit, ut illis coram parocho sive ecclesiæ pastore & duobus testibus testari permiserit. Quam testandi formam ubique etiam in pijs legatis sufficere voluit. In quam præclaram nassam Ecclesiastici, jam illius clientes & satellites, eam operam navarunt, ut huic ubique applausum sit, illud verò sensim plerisque locis receptum. Quæ hinc testamentariæ fraudes irrepserint, est quod doleat mundus. Nulla ferè jam testamenta conficiebantur, nisi ea forma à parochis. Atque hinc etiam consentaneum esse visum est, ut justą nec'ne essent testamenta, coram Ecclesiasticorum disputaretur tribunalibus. Nec minùs ille uberem in re matrimoniali fixit nassam. Veteres cognationum gradus immutavit, atque etiam novos finxit: & nequid duriùs statuisse videri posset, venalem gratiam est professus. Atque res illa cùm ita esset intricata, faciliùs ejus cognitio Ecclesiasticorum curijs est relicta. Sed cùm de deflorationibus virginum ageretur, mirum est, tam sanctorum cœlibum aures admittere potuisse tam carnalia. Sed illi ipsi

[a] §. Sed cùm paulat. De testam. Instit.

ipſi eas res ita tractabant, ut te non in judicijs, ſed in ſpurciſſimis lupanaribus verſari dixiſſes. Quod autem ad bona eccleſiaſtica attinet, de ijs opinio mox nata eſt, ea aliénari nefas eſſe. In hanc autem cauſſam trahere tabernaculum Dei in populo Iſraëlitico, ejus vaſa, aut arcam teſtimonij, perquàm ſit abſurdum. Quæ enim jubente Deo ad ejus cultum conficiuntur, quis ea, non dicam, alienet, ſed quis non juſſus contrectet? Sed hîc de talibus non agitur. Agitur autem de latifundijs, & cujuſcunque generis prædijs, ad eccleſiaſticum jus fortè devolutis. Et illius opinionis Pius ejus nominis primus Romanus Epiſcopus laudatur author ſcilicet. Is cum tradatur circa annum Domini centeſimum quinquageſimum Romæ docuiſſe, quo tempore Princeps omneſque magiſtratus urbis infeſtiſſimi Chriſtiani nominis hoſtes erant: an veriſimile eſt, tum aut ulla prædia divinis uſibus fuiſſe tradita, aut illum eam habuiſſe authoritatem, ut eum, qui iſtiuſmodi prædia humanis uſibus applicaret, ſacrilegum pronuntiaret? Et cùm hæc ei tribuantur verba: Quod ſiquis præſumpſerit, ſacrilegus habeatur, & ſicut ſa-

crilegus judicetur : quam quæso illa tunc aut vim aut executionem habuissent? In latentibus ecclesijs, qualis tunc Romana fuit, non ita agitur:sed siquis delinquat,pro modo delicti admonetur:et si audire nolit,ejus commercium fugitur , in eoq; finis omnis est actionis. Istiusmodi interim scriptis referti sunt illi libri,qui magnifico titulo : Ius Canonicum:sunt inscripti. Sed eos libros nunc aut levitatis,aut ineptiarum, aut fraudis,aut falsitatis denique insimulare : injuriam facere ijs sit, qui eosdem præter illa intolerabilium etiam in Deum convitiorum atque blasphemiarum pridem convicere. Non dubito tamen , quin recepto publicè Christianismo , cùm in ecclesiasticos usus aliqua prędia aut donata aut legata essent,ea ipsa mox ea opinione , tanquam alienari non possent,fuisse affecta. Nec verò ea ratione destituebatur , quòd illa publici juris essent, ut publicis usibus mancipata. Sed modus hîc observari debuit , quemadmodum cùm Deus ex voluntarijs populi Israëlitici donarijs tabernaculum fieri jussisset[b], isq; plus conferret,quàm opus esset, Moses ampliùs conferri,præconis voce vetuit[c]. Atque Leonem quidem & Anthemium primos eam opinionem in leges retulisse com-

b. Exod. 25.

c. Exod. 36.

temperio[d]: quos secutus Iustinianus, dum inconsyderatiùs in eam legislationem fertur[e], fenestram Ecclesiasticis aperuit vel universum orbem occupandi. Sed boni Principes probitatis illorum specie decepti, istiusmodi quicquam de illis non potuere suspicari. Occupandi autem orbis desyderium apparere cœpit, cùm Episcopus Romanus principatus & ditiones involaret: cùm ipsi Imperio manus injicerat: cùm Ecclesiasticorum numerum multis novis aut inventis ab ipso, aut suggestis religionibus augeret: cùm deniq; hi omnes, ut egregij illius discipuli, clientes, & satellites, illius doctrinæ & exemplis insistentes, ubique ad aucupandum sua retia tenderent. Atque ea quidem improbitas tam effusa & manifesta erat, ut legibus coërceri (quomodo jam aliquoties dictum est) necesse esset. Quæ comparabant, quòd aliorum hominum commercio aut potiùs dominio eximerentur, in manum mortuam incidere vulgò dicebantur, quasi ipsa interirent & emorerentur. Sed de talibus bonis coram Ecclesiasticorum tribunalibus disceptare, non est profectò aliud, quàm siquis homo externus contra indigenam alicujus regionis coram judice ejusdem regionis, præ-

d L. 14. De episc. & cler. C.

e Passim in Novel.

dium aliquod ejus regionis non esse contendat. Vt taceam vulgares de illis tribunalibus querelas: perplexos & intricatos agendi modos & formas esse: & si non ecclesiasticus contra ecclesiasticum justissimam caussam habeat, eum tamen aut nunquam, aut post intolerabiles vexationes, & gravissimos sumptus serò admodum jus suum consequi. Vitari autem omnia hæc tanta mala potuissent, si ecclesiarum sive Ministri, sive Pastores, sive Episcopi, initiò ita in officio retenti essent, ut extra verbum Dei nihil aut docere, aut facere potuissent. Ab eo enim cùm exorbitare Minister incipit, mox Diaboli artibus ita afficitur, ut sensim de prævaricatione in prævaricationem progrediens, tanquam in Circen inciderit, contrarius ab eo, qui esse deberet, evadat. Cujus rei evidentissimum exemplum in Episcopo Romano videmus, ut qui eo vesaniæ prolapsus sit, ut oppressa vera religione ipse mille falsas cuderit: & veræ religionis sectatores, multitudine illorum incredibili omni tormentorum genere sublata, porrò perdere satagat. Si item ipsis in collegia coire, communiaque bona habere permissum non fuisset. Hinc enim eorum nume-

rus

tus ita accrevit, ut civitates, pagos, agros oppleverint: & cupido illos illud commune ſemper augendi inceſſit. Debebat illis è publico ſuppeditari, quantum ad familiam honeſtè ſuſtentandam ſatis, neque ejus rei gratia aliunde ſubſidia quærere, neceſſe eſſet. Quando etiam facilè, ut reliqui publici miniſtri (neque enim ſunt aliud) in officio contineri, neq; enim præter voluntatem magiſtratuum eorum numerus augeri potuiſſet. Deinde quoque ſi tanta rerum omnium immunitas conceſſa non eſſet, qua factum eſt, ut ſeparatam à reliquis hominibus rempublicam conſtituerint: & quia ea etiam ratione facilè poſſent, ita quęvis coëmerint, ut Principibus ditiones tantum non ſteriles reddiderint. Sufficere debebant hoſpitij, operis publici, excubiarumq; immunitates, quæ veris Miniſtris profectò etiam competunt. Poſtremò autem judicia illis permittenda non erant, quòd ea re à magiſtratus jure omnino exempti fuerint: cùm contrà officij natura alijs ad obediendum exemplo eſſe deberent. Quod quantam totius politici ordinis confuſionem, atque in commune injuriam peperit, nimis diu experti, meritò ingemiſcimus.

Diplomata tutelaria nemini fraudi esse.

CAPVT. IIII.

NEMO sub prætextu aut authoritate diplomatis nostri tutelaris, sive Sauvegardiæ, neque civiliter neq; criminaliter constringi poterit: nisi in diplomate nomen ipsius expressum, ipsique per aliquem Vasallorum Officialium've nostrorum exhibitum sit: ut tamen in hoc Prælatis omnibusque alijs bonum ipsorum jus servetur.

COMMENT.

Amplius examinanda.

DIPLOMATA tutelaria (quæ Gallicè Sauvegardes dicuntur) ferè contra quorumcunqne injuriam suppressis nominibus conceduntur: sed siquis in ijs nominetur, ne id illi fraudi sit, hîc statuitur: & meritò, cùm privilegia aliaque istiusmodi Principum diplomata in alterius injuriam concedi non soleant.[a]

[a] L. 3. De prec. Imp. offerend. C.

De diplomatibus prorogatorijs solutionis.

CAPVT. V.

NVLLIS deinceps privatis personis, cujuscunq; sint ordinis, nationis, provinciæ, aut conditionis, nullis etiam civitatibus extra provinciam nostram Brabantiam sitis, concedentur ulla solvendorum debitorum prorogatoria diplomata, nisi in forma juris sub cautione in provincia nostra Brabantia constituenda. & istiusmodi diplomata non nisi semel poterunt concedi.

COMMENT.

DE mutata veterum acerbitate in debitores, nonnihil ad quinquagesimum alterum caput Inaugurationis diximus. Et summum eorum solatium aut cessio bonorum est, aut quinquennales induciæ. Cedendo bonis detentione & cruciatu corporis liberantur, etiamsi creditores ex ijs solidum non consequantur: in reli-

a L. 1. Qui bon. ced. poss. C.
b Novel. 135.

quum autem obligati manent[a]. Atque id etiam Iustinianus ita mitigavit[b], ut qui infortunijs non culpa res suas amiserint, bonis cedere cogi non debeant, si se solvendo non esse jurent: nihilominus tamen solutionem, quatenus unquam facere poterunt, promittant. Quinquennales induciæ cessione mitiores sunt[c], sed ut debitor cautionem præstet, ratio[d] postulat. Nam si alioqui creditor non acquiescat, ad cessionem redeundum sit.

c L. ult. C. eod.
d L. 4. De prec. Imp. offerend. C.

De vagabundis, qui se Ægyptios esse dicunt.

CAPVT. VI.

VAGABVNDI illi, qui se ex minore Ægypto oriundos dicunt, non poterunt deinceps venire in provinciam nostram Brabantiam, nedum commeare, inibíve conversari: sed debebunt extra eam manere sub pœna capitis amissionisq; bonorum, secundum tenorem quorundam placitorum nostro nomine ea de re alias promulgatorum.

COM-

COMMENT.

HÆc erratica fæx hominum cùm Bulgara maximè ſit, Ægyptiam ſe admirationis benevolentiæq; cauſſa mentitur. Qui Ægyptum peragrarunt, eam illic quoque turmatim, & maximè ſecundum Nilum oberrare, neque minùs illic peregrinam, quàm hîc eſſe, teſtantur. Dignum certè genus hominum, quod cùm ob alia ſcelera, tum ob malas quaſdam, quas profitetur, artes, nuſquam toleretur.

De locis promiſcui uſus pro vivarijs non locandis.

CAPVT. VII.

NOn ampliùs contra tenorem trigeſimi primi articuli Inaugurationis, fœlicis memoriæ Regis Caſtiliæ, Domini noſtri Patris, vivaria à promiſcuo uſu non ſeparata, locabuntur.

COM-

COMMENT.

CAPITE Inaugurationis quinto & trigesimo cavetur, nova vivaria facere, non licere: hîc verò, nequa loca, quæ promiscui usus sunt, ut vivaria locentur: quæ in idem recidunt. Nam quæ Principis nomine locantur, eo ipso Principi attribuuntur: & eo modo quæ promiscui usus sunt, nova vivariaria fierent. Quod ut meliùs intelligatur, meminisse convenit, certa Principi in Brabantia attributa esse loca, quæ ipsi soli in venationis usum cedant: alioqui Brabantiam omnem cuicunque ad venationem patêre. Principi autem attributa loca sepiri solere, itaq; vivaria congruenter dici: quippe cùm vivaria sint ea loca, quibus vel pisces, vel aves, vel feræ continentur.

Ad vias reficiendas viaria tributa insumi debere.

CAPVT. VIII.

TRIBVTVM viarium, quod ad refectionem viarum, pontium, transituumq; provinciæ nostræ Brabantię perci-

percipitur, non in res alias, quàm in eam refectionem insumetur.

COMMENT.

IN quem usum quidque colligitur, in eum etiam insumi par est. Sic viaria tributa, cùm ad vias reficiendas instituta sint, in earum refectionem impendi convenit. Quæ tamen cùm Iohannis ejus nominis secundi temporibus aliò expensa fuissent, edita Constitutione (quæ Gallica dicta est, cujus etiam jam aliquoties mentionem fecimus) id deinceps non futurum, Ordinibus promisit: atque inde hoc caput originem ducit.

De apprehensione & inquisitione in privatis ædibus facienda.

CAPVT. IX.

NEQVE Officiales civitatum, municipiorum, pagorum've provinciæ nostræ Brabantiæ, neque ipsorum ministri, poterunt deinceps, quæcunq; tandem

dem caussa sit, quenquam de domo sua extrahere, ac in carcerem ducere, aut in ea inquisitionem facere, secùs, quàm pro vigore privilegiorum, consuetudinum, usuum've loci, quo id fieri continget aut debebit: aut etiam aliter, quàm pro scripto jure conveniat, aut licitum sit. Nostris autem civitatibus, Lovanio, Antverpiæ, Sylvæducis ampla ipsarum ea de re privilegia, consuetudines, usus hactenus observati, conservabuntur.

COMMENT.

Cicero in oratione, Pro domo sua, tanquam jus privatarum ædium asserturus, in hæc verba prorumpit: Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quàm domus uniuscujusque civium? hîc aræ sunt, hîc foci, hîc Dii penates, hîc sacræ religionis cæremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. Quibus proximè accedit illud Gay: quia domus (inquientis[a]) tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit: & illud Pauli[b]: de domo sua nemo extrahi debet. Et quanquam videatur, neque ob crimina tempo-

a L. 18. De in jus vocand. D.

b L. 21, ibid.

temporibus Ciceronis quenquam de domo sua extrahi licuisse : Ita enim in oratione , In Vatinium , ait : Cumque non majestate imperij, non jure legum, sed januæ præsidio & parietum custodijs Consulis vita tegeretur , quæro, miserisne viatorem, qui M. Bibulum vi extraheret ? ut, quod est in privatis semper observatum , id te Tribuno plebis, Consulis domus exilium esse non posset? Quasi videlicet, domi se continere, exilij loco tum Romæ habitum fuerit. Exilium autem legum vindictam finire, certum est. Quanquam igitur id ita esse videatur : tamen Imperatorum temporibus id privatis ædibus , ut sceleratos etiam tuerentur , ita tributum non est, ut id expressa lege vetare , necessarium esse, existimatum non sit. Quod cùm recentiores non animadverterent , quantopere torti sint , eorum scripta declarant. Cùm monstrare conantur, domum in criminalibus tutum refugium non præbere , ablegant lectorem ad diversa quidem loca, sed ad nulla, quæ id expressè habeant. Sed cùm Iurisconsulti viam ostendant [c] , qua tuum nihilominus consequaris, tametsi debitor domi latitet : & ratio nulla

c L. 19. ibid. l. 1. De off. diversi jud. C.

nulla extet, qua reipublicæ satisfiat, si facinoris reus domi tutus sit (facinorosos enim puniri, reipublicæ non leviter certè [d] interest) profectò facinorosis domum in refugium præbere, subsistere non potest. Sufficere autem latitationem dicere, frivolæ rationis sit. Sed quid multis? cùm Deus homicidam ab altari suo ad pœnam avelli jubeat [e]: cùm item Iustinianus negato facinorosis asyli jure, ex sacris eos ædibus protrahi mandet [f]: qua fronte plus juris privatis ædibus, quàm istiusmodi locis tribuemus? Quod autem Lovanij, Antverpiæ, atq; Sylvæducis privilegij loco observatur, ut ostio proximaq; fenestra clausis, Præfecti in ædes irruere, atque inde quantumvis facinorosos protrahere nequeant: ad reprimendam Præfectorum improbitatem magis spectat, quàm ut facinorosi pœnis subtrahantur. Nam cujusq; loci magistratus de re edoctus, ipse ad facinorosi ædes congreditur, ut si necesse sit, effractis etiam foribus, is ad supplicium protrahatur. Quod porrò de inquisitione in privatis ædibus facienda, hîc jungitur, cum præcedenti eandem caussam habet. Et cùm Quæsitores fidei aliquoties tam acriter à Iustiniano repressi [g], simplicitate vecordiaque nostrorum Principum, quin-

[d] L. 70. §. Id quod vulgò, De fidejuss. & mand. D.

[e] Exod. 21.

[f] Novel. 17. §. Cæterum homicidis.

[g] Novel. 17. §. Enimverò neque. Edicto. 2. §. Posteaquam.

quinquaginta proximis annis, tantùm non regnarint: dici non posset, à quot probis viris & matronis privilegium hoc vexationem & perniciem avertit.

Pecuniæ valore mutato, quomodo solvatur.

CAPVT. X.

DEINCEPS quisque, cujuscunq; sit ordinis aut conditionis, in annuis solutionibus quorumcunq; aureorum nummorum satisfaciet, si eos solvat eo valore aut pretio, quo hactenus solvere consuevit: neque majore pretio eos solvere cogi poterit. Tabulæ tamen publicæ de eorundem aureorum nummorum constitutione, quatenus ad principales reditus attinet, manebunt in suo valore atque vigore, nisi sicubi sententia data sit in contrarium. Et durabit hoc quidem, donec tempus à nobis petitæ collationis, in provincia nostra Brabantia respectu Inaugurationis nostræ atque receptionis nobis consensæ, decurret. Neq; poterunt veterum aureorum argenteorumve nummorum, quomodocunque

appellentur, tum nostri, tum Vasallorum nostrorum census aut reditus pluris æstimari, quàm quanti nunc sunt, & quotannis solvuntur: & subditi nostri Brabantiæ incolæ ita solvendo satisfacient.

COMMENT.

LEGIMVS in Chronicis Hollandicis, anno supra millesimum quadringentesimum undenonagesimo, pecuniæ pretium ita fuisse imminutum, ut Rhenanus aureus, cùm eatenus tribus & sexaginta stuferis sive sestertijs æstimatus fuisset, ad septendecim stuferorum æstimationem depressus fuerit: quæ res multas turbas per provincias excitarit, multosq; mercatores depauperarit. Quæ res etiam cùm varias contentiones usq; ad initium Principatus Caroli produxisset, & ipsi post Inaugurationem quadringenta quinquaginta Rhenanorum aureorum millia intra triennium à Brabantiæ Ordinibus solvi deberent: nequid incommodi sentiretur, ut hæc eo triennio observarentur, statuere necesse habuit. Quæ si primæ Additioni, ad quam pertinent, inserta essent, cum ea omitti potuissent. Cur autem omissa sit, ejus mox post Inau-

Inaugurationem rationem habes.

De concuſsione.

CAPVT. XI.

DEINCEPS per provinciam noſtrã Brábantiam noſtri Vaſallorum've noſtrorum Officiales, Iudices civitatum, municipiorum, pagorum've, telonarij telonijq; cuſtodes, aut eorum in juſtitiæ cauſſis aut collectione miniſtri, non poterunt eos, qui ipſorum juriſdictionibus aut officijs ſubſunt, de præſtandis operis, canibus, ovibus, alijs've animalibus ſuſtentandis aut alendis ſolicitare: neque à noſtris ſubditis frugum manipulos, carnes, frumentum, aliáve iſtiuſmodi dona capere: neque item cauponam exercere, unde ijs, qui ipſorum officijs ſubſunt, aut alijs, qui ipſorum opera uti debeant, detrimenti aliquid quoquo modo obveniat. Vt tamen ab his excipiantur longa conſuetudine uſitatæ mercedes, emolumenta, ſalaria, aliæque juſtitiæ adminiſtrandæ obventiones, quæ officij ratione Officialibus competunt, quibus contenti eſſe debebunt, neque quicquam ulteriùs à quoquam requirere poterunt. Si verò Officialium

quisquam contra hæc faciet, id loco pœnaq; competenti vindicabitur.

COMMENT.

QVOTQVOT in Brabantia functiones aliquas publicas suscipiunt, ex præscripto undecimi capitis Inaugurationis jus-jurandum pręstare tenentur, nullum se munus aliud've quippiam à quoquam subditorum accepturos. Vt autem quæ accipere faceréve non debeant, cognita sint, speciatim hîc quasi numerantur, ne tanquam levia, non prohibita putentur. Pœna verò arbitraria statuitur, quomodo etiam jure concussiones puniuntur [a]: ut tamen quod ablatum damnum've datum est, restituatur aut resarciatur.

[a] l. 1. De concussion. D.

Religiosa collegia extra Brabantiam sita, nulla immobilia in Brabantia acquirere posse.

CA-

CAPVT. XII.

NVLLA deinceps monasteria, ecclesiasticáve aut religiosa collegia extra Brabantiam sita, emere, alióve modo acquirere poterunt ulla immobilia in Brabantia sita, sive sint prædia, sive census, sive reditus.

COMMENTAR.

QVOD res ita postularet, ad caput septimum & quinquagesimum Inaugurationis, & ad tertium hujus Additionis, obiter attigimus, comparationem prædiorum aliarumq; rerum immobilium Ecclesiasticis esse prohibitam. Hîc autem tria ea de re capita sequuntur. Apud Flandros id à Comite Guidone anno supra millesimum ducentesimum quarto & nonagesimo vetitum invenio: tam ea gens in eo fuit vigilans & prudens. In Brabantia anno supra millesimum quadringentesimum quinquagesimo altero à Philippo Bono demum vetitum fuit. Quam ob rem quantas turbas religiosus ille Ordo dederit, testatur magnum quoddam scriptum, quo illi tum illius prohibitionis iniquitatem osten-

dere sunt conati. Pręcipuè sibi Iustinianum propugnatorem statuunt, quasi bonus ille Princeps tantæ illorum improbæ cupiditati patrocinari, & non præsentibus necessitatibus prospicere voluerit. Atq; hinc discant Principes non indulgere, quod aliquando ex abusu in eorum dedecus & ignominiam redundet.

Nulla in Brabantia sita immobilia, morticinij jure mancipari posse.

CAPVT. XIII.

NVLLA bona immobilia, sive sint propria, sive feudalia, sive emphyteutica, sive censualia, in Provincia nostra Brabantia, Limburgica, alijs've Transmosanis sita, poterunt, quacunque etiam de caussa, aut quocunque titulo, vendi, cedi, transscribi, permutari ad usum ullorum monasteriorum, religiosarum domuum, capitulorum, collegiorum, alterius've manus emortuæ: nisi istiusmodi venditiones, cessiones, transscriptiones, aut permutationes fierent nostro Iudicumque metropolium, sub

ſub quibus vendenda, cedenda, tranſcribenda, permutandáve bona ſita ſunt, indultu conſenſuque communi. Neque ulli Scabini, Vaſalli, alij've Iudices adeſſe aut intereſſe poterunt, ubi iſtiuſmodi venditiones, ceſſiones, tranſcriptiones, aut permutationes ad mortuæ manus uſum fient. Quicunque autem contrà facient, in indignationis noſtræ pœnam, & in ſelibræ auri multam, in noſtrum uſum citra diſſimulationem extorquendam, incident. Et quicquid iſtiuſmodi attentari aut obreptitiè fieri poterit, declaravimus, atque per hæc declaramus, per ſe nullum, invalidum, atque irritum, ac pro tali in perpetuum æſtimandum atque habendum eſſe.

COMMENT.

PHILIPPI quidem Boni Conſtitutio hac de re ſatis plenè ſtatuit: ſed quia genus illud hominū miris technis legi poſtmodum obrepſit, exactiore omnium deſcriptione diſtinctioneq; opus fuit. Ita ſuperiore capite de externis collegijs nominatim ſtatuitur: hoc omnium bonorum genera, collegiorum diverſæ

rationes, & contractuum diversi modi recensentur & exprimuntur: sequenti de hæreditarijs testamentarijsq; caussis, & de donationibus agitur. Et haud scio, an his etiam cancellis satis illorum improbitas obsepiri potuerit, cùm Iurisconsultos, cùm Actuarios, cùm denique ipsos Magistratus parasitos habuerint.

Immobilia bona per caussam aliquam hæreditariam testamentariamve, aut per donationem morticinij jure affici non posse.

CAPVT. XIIII.

SIMILITER neque titulo generalis aut particularis successionis, neq; testamento aliáve extrema voluntate, neq; donatione sive caussa mortis sive inter vivos, neque ab intestato etiam, ulla immobilia bona pervenire, relinqui, aut conferri poterunt in monasteria, religiosas domos, collegia, aliasve manus mortuas. Declaramus enim, quicquid per aliquem contra

hæc fieri attentarive possit, similiter nullum esse & irritum, ac pro tali in perpetuum æstimandum.

COMMENT.

HAc cautione vel præcipuè opus fuit, quòd, ut ad tertium caput hujus Additionis ostensum est, testamentariæ rei cognitio atq; etiam confectio penes illos fuerit. Edidit autem eadem de re Carolus, anno post sesquimillesimum vigesimo, Constitutionem prorsus absolutam.

De apprehensione & executione Præfecti Brabantiæ.

CAPVT. XV.

BRABANTIÆ Præfectus, Latrunculator, vivariorum, sylvarum've Præfecti, aut alij, non poterunt aliter quenqam comprehendere, aut in nostris Brabantiæ civitatibus executiones facere, quàm secundum tenorem instructionis suæ, & quomodo longo jam tempore consuevere, & æquum est licetq; facere.

COMMENT.

HVIC hominum generi non posse nimis arctas leges poni, superioribus annis experientia satis docuit. Et Iustinianus hauddubiè dissolutæ injuriæ caussa, Latrunculatores sæpius in provincijs ferri vetuit.[a]

[a] Novel. 134. §. Ad hæc jubemus.

Exequendæ Inaugurationis mandatum.

DENVNTIAMVS igitur atq; jubemus prædicto nostro Cancellario, virisq; nostri Consilij & Ærarij in Brabantia, Lovaniensi, Bruxellensi, Antverpiensi Præfectis, Marcgravio ditionis nostræ Riensis, Præfecto Sylvaducensi, omnibusq; alijs nostris Vasallorumq; nostrorum Iudicibus, Officiarijs, ministris, & subditis, ad quos id pertinebit, vicarijs etiam, & cuique eorum separatim, quatenus quenque attinget, ut civibus & incolis civitatum, municipiorum, & pagorum provinciæ nostræ Brabantiæ, & cuique eorum separatim, quatenus quenque attingit, procurent, permittant,

tant, & patiantur, hisce nostris gratijs, indultis, & statutis, simul etiam antè relatis capitibus sive articulis, & ijs, quæ illis eo modo, quo hîc scripta sunt, continentur, tranquillè, pacificè, pleneque uti & frui: ita ut illis in eo econtrariò neque impedimentum aut molestiam adferant, neque fieri patiantur. Quia ita nobis fieri placet. Atq; in ejus testimonium hisce nostrum sigillum curavimus appendendum. Data in civitate nostra Brugensi vigesimo sexto die mensis Aprilis, anno Domini supra sesquimillesimum decimo quinto.

Ita subscriptum erat:

Per dominum meum Principem in suo Consilio.

COMMENTARIVS.

NEMO in Brabantia ad ullam functionem publicam admittitur, nisi ex præscripto decimi Inaugurationis capitis, ad Inaugurationis observationem jurejurando se obstringat. Hîc verò

verò etiam jubet Princeps, ut quotquot ullam functionem habent, liberam Inaugurationis atque hujus Additionis usum cuique atque fructum permittant. Neq; verò simpliciter jubet, sed in Consilio, ubi demum summa est Principum authoritas, atq; adeò Majestas. Atque id quidem indicat & subscriptio, & solennis illa clausula: *Quia ita nobis fieri placet.* Quam non ad solum Principem, sed ad universum Consilium referri oportere, nonnullis haud sanè perperam videtur. Solere enim Principes, atque adeò oportere, non nisi de Consilij sententia de rebus magnis statuere: atque quod ita communiter decretum esset (quòd Latinè etiam sub Francis decreta publica scriberentur) antiqui moris imitatione Placitum fuisse vocatum: quod ab actuarijs postmodum Gallicè scribentibus adulatoriè ita versum sit, ut ad solum Principem non sine superbę alicujus arrogantiæ cogitatione referatur. Sed quicquid hujus sit, seriò atque summa cum solennitate Principem id jussisse, certum est: ut quicunque obsequuti non sint (sunt autem illi, prô dolor, quàm plurimi) præterquàm quòd perjurio se macularunt (quod certè detestabile est) mandata Principis tam solennia violarint.

FINIS.

Index Capitulorum hujus libri.

De

Index alteræ Additionis.

Ad

FINIS.



Digitized by Google

